Annus XV - Vol. XV 1 Octobris 1923 Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutio Apostolica, p. 485; Litterae Apostolicae, p. 488; Epistolae, p. 495.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis:* Provisio Ecclesiarum, p. 512. - *S. C. Concilii:* Romana. Redemptionis canonum, p. 513. - *S. C. de Propaganda Fide:* Nominationes, p. 514.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Romana. Crediti, p. 515.

Diarium Romanae Curiae: S. C. del Concilio: Avviso. - Segreteria di Stato: Nomine, onorificenze. - Maggiordomato: Nomine. - Necrologio, pp. 528-532.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MCMXXIII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.
Administratio: Tipografia Poliglotta Vaticana. — Roma.

Pretium annuae subnotationis.
Pro Italia, Lib. 18. — Extra Italiam, Frs. 24.
Unius fasciculi, Lib. 3 —

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XV, n. 10 - 1 Octobris 1923)

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PAG.

Ad supremae. - Erectionis dioecesium Barrensis et Camposinae. - *4 dic. 1922* . 485

LITTERAE APOSTOLICAE

In civitate Kevelaer. - Titulus Basilicae minoris confertur paroeciali ecclesiae B. M. V. Consolatricis afflictorum, oppidi Kevelaer. - *23 aprilis 1923* 488

II. *Insula Islandia.* - Insula Islandia erigitur in proprii iuris apostolicam praefecturam. - *12 iunii 1923* 489

III. *Quae catholico nomini.* - Erigitur praefectura apostolica Nili aequatorialis in Africa centrali. - *12 iunii 1923* . . . 490

IV. *Cum ex Apostolico munere.* - Erigitur nova praefectura apostolica de Buea, in regione Kameronensi. - *21 iunii 1923* 491

V. *In diocesibus.* - Nova erigitur apostolica praefectura de Lydenburg, in Africa meridionali. - *12 iunii 1923* 492

VI. *Quo christiani nominis.* - Nova praefectura apostolica Gariepensis erigitur in Africa meridionali. - *12 iunii 1923* . 493

VII. *Basilicae in civitate.* - Ecclesia curialis B. M. V. de Nazareth, urbis Belemensis de Pará, privilegiis Basilicae minoris augetur. - *19 iunii 1923* 494

EPISTOLAE

I. *Ea quidem.* - Ad R. P. D. Iosephum Rumeau, episcopum Andegavensem: ob natalem quinquagesimum sacerdotii et vicesimum quintum episcopatus eius. - *11 iulii 1923* 495

II. *Cum in eo.* - Ad R. P. D. Augustinum Fernandum Leynaud, archiepiscopum Algeriensem: de Concilio provinciali in mensem novembrem indicto. - *14 iulii 1923* 496

III. *In litteris.* - Ad Emum P. D. Petrum card. La Fontaine, patriarcham Venetiarum, ceteroesque Venetorum Episcopos: de Concilio provinciali proxime ab iis habendo. - *15 iulii 1923* 497

IV. *Cum archidioecesim.* - Ad Emum P. D. Ioannem Baptistam card. Nasalli Rocca, archiep. Bononiensem, quem Legatum mittit Caesenam ut sollemnibus saecularibus in honorem Pii VII agendis praesideat. - *20 iulii 1923* 498

V. *Basilicum.* - Ad R. P. D. Henricum Ignatium Przezdziecki, episcopum Podlachiensem seu Ianoviensem: de indicta ab eo dioecesana Synodo. - *21 iulii 1923* 499

VI. *Officiosissimam epistulam.* - Ad Emum P. D. Desideratum card. Mercier, archiepiscopum Mechliniensem: de Conventu missionalium Lovanii proxime habendo. - *25 iulii 1923* 500

VII. *Cum in diem.* - Ad R. D. Iosephum Allamano, rectorem sanctuarii Taurinensis a B. M. V. Consolata: ob quinquagesimum sacerdotii eius natalem. - *5 augusti 1923* 501

VIII. *Indictus.* - Ad Emum P. D. Caietanum De Lai, Sacri Collegii Subdecanum, quem Legatum mittit Genuam ad Conventum Eucharisticum. - *10 aug. 1923* 503

IX. *Dioecesanam Synodum.* - Ad R. P. D. Aloysium Mariam Marelli, episcopum Bergomensem: de Synodo dioecesana ab eo indicta deque subsequentibus sollemnibus sancti Alexandri martyris. *13 augusti 1923* 505

X. *Nuntiatum est Nobis.* - Ad Emum P. D. Aidanum card. Gasquet: de sollemnibus quater decies saecularibus imaginis S. Mariae in Porticu. - *15 augusti 1923* 506

XI. *Venerabiles fratres.* - Ad Emum P. D. Camillum S. R. E. card. Laurenti, quem Legatum mittit ad Conventum Eucharisticum Turritanum. - *15 augusti 1923* 508

XII. *Rogatum te esse.* - Ad Emum P. D. Caietanum card. Bisleti: de Conventu Eucharistico Utinensi. - *16 augusti 1923* 509

XIII. *Probe meminimus.* - Ad Mariam principem viduam Radziwill: de templo in honorem Sacratissimi Cordis Iesu in Varsaviae suburbio eius sumptibus exstructo. - *23 augusti 1923* 510

XIV. *Quae ab initio.* - Ad R. P. D. Eliam Huayek, patriarcham Antiochenem Maronitarum: ad gratulandum quintum ac vicesimum patriarchalis dignitatis annum. - *27 augusti 1923* 510

ACTA SS. CONGREGATIONUM

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisiones Ecclesiarum 512

S. CONGREGATIO CONCILII

Romana et aliarum. - Redemptionis canonum. - *23 ianuarii 1923* 513

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

Nominationes 514

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Romana. - Crediti. - *22 iunii 1923* 515

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. S. Congregazione del Concilio: *Avviso* . 528

II. Segreteria di Stato: *Nomina, onorificenze* 528

III. Maggiordomato di Sua Santità: *Nomine* 531

IV. Necrologio 532

Annus XV - Vol. XV 1 Octobris 1923 Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

NICTHEROYENSIS

ERECTIONIS DIOECESIUM BARRENSIS DE PIRAHY ET CAMPOSINAE

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad supremae Apostolicae Sedis solium, divina disponente clementia, evecti, inter plurimas gravissimasque curas, quibus undique premimur, eas potissimum pastorali cordis affectu amplectendas esse putamus, quae ad animarum christifidelium curam magis in Domino conducere dignoscuntur.

Quo spirituali fidelium suorum bono consuli posset, venerabilis frater Augustinus Franciscus Bennassi, hodiernus Episcopus Nictheroyensis, in tres suam dioecesim dividere, ibique duas alias dioeceses erigere necessarium duxit idque a Nobis suppliciter petiit. Quum eius precibus accessisset favorabile votum venerabilium fratrum Apostolici Nuntii et Cardinalis Archiepiscopi Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, huius Nichteroyensis Ecclesiae Metropolitani, eas benigne excepimus et, audito voto venerabilium pariter fratrum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Consistorialis, ad optatas divisiones et erectiones deveniendum decrevimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel sua interesse praesumant, consensu, de Apostolicae potestatis plenitudine et facultate quoque utentes in Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad universas orbis Ecclesias*, diei vigesimae septimae aprilis anni Domini millesimi octingentesimi nonagesimi secundi, huic Apostolicae Sedi reservata, a dioecesi Nictheroyensi sequentes parochias distrahimus, nimirum: *Barra do Pirahy*, *Iguassù*, *Nova Iguassù*, *Paruna*, *Marapicù*, *Itaguahy*, *Ribe-*

rão de Lages, Bananal, Mangaratiba, Itacurussà, Jacarehy, Agua dos Reis, Ilha Grande, Ribeira, Jacuecanga, Mambucaba, Paraty, Paraty Mirim, S. João Marcos, Rio Claro, Passa Tres, S. Antonio de Capivari, Rezende, S. Anna dos Tocos, Campo Bello, S. Vicente Ferrer, Vargem Grande, Barra Mansa, Espirito Santo de Barra Mansa, Guatis, S. Joaquim, Amparo, S. Anna do Pirahy, Arrozal, Dôres de Pirahy, S. José do Turvo, Valença, S. Thereza de Valença, Conservatorio, Ipiabas, S. Izabel, Vassoura, Paty do Alferes, Tinguá, Mendes, Ferreiros, Parahiba do Sul, Encruzilhada, Desengano, Apparecida, Sapucaia: in quarum parochiarum finibus dioecesim *Barrensem de Pirahy* nuncupandam erigimus: eiusque sedem et cathedram constituimus in urbe *Barra do Pirahy*, a qua nomen dioecesis mutuatur, et matricem ecclesiam S. Annae ad cathedralis honorem extollimus.

Aliam cathedralem ecclesiam, *Camposinam* denominandam ab urbe *Campos*, dioeceseos principe, erigimus in finibus sequentium parochiarum, quas vocant: *S. Salvador do Campos, Nossa Senhora do Terço de Campos, Magdalena, S. Sebastião do Alto, S. Francisco de Paula, Macahé, Barreto, Neves, Guissamán, Carapebus, Conceiçao de Macabù, Barra de S. João, S. Sebastião de Campos, S. Gonçalo de Campos, Guarrilhos, Dôres de Macabù, Santa Rita, S. Benedicto, Morro do Côco, S. Fidelis, Ponte Nova, S. Francisco da Barra, S. João da Barra, Padua, Monte Verde, Bom Jesus de Itabapoana, Lagé de Muriahé, Natividade de Carangola, Miracema:* quas parochias a dioecesi Nictheroyensi pariter distrahimus, huiusque novae Ecclesiae sedem et cathedram constituimus in urbe *Campos*, et matricem ecclesiam Sanctissimi Salvatoris ad Cathedralis honorem extollimus.

Uniuscuiusque igitur dioeceseos fines iidem erunt ac fines parochiarum, quibus constitutae sunt.

Hisce insuper neo-erectis cathedralibus Ecclesiis earumque pro tempore Episcopis tribuimus honores, insignia, favores, iura ac privilegia, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites in America Latina, iure communi vel legitima consuetudine, pollent ac fruuntur.

Ipsas cathedrales Ecclesias suffraganeas constituimus metropolitanae Ecclesiae Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, eorumque pro tempore Episcopos iuri metropolitico eiusdem Sancti Sebastiani Archiepiscopi subiicimus, reservata tamen Apostolicae Sedi facultate libere novam decernendi istarum dioecesium dismembrationem, quoties id in Domino opportunum visum fuerit.

Quum autem temporum adiuncta prohibeant quominus in unaquaque Cathedrali Capitulum Canonicorum in praesenti instituatur, iubemus ut, loco Canonicorum, Dioecesani Consultores eligantur, iuxta canonem 423 et sequentes novi Codicis iuris canonici.

Mandamus insuper ut, quamprimum fieri poterit, saltem parvum Seminarium dioecesanum, iuxta eiusdem Codicis dispositiones et regulas a Sacra Congregatione de Seminariis traditas, in unaquaque dioecesi erigatur; et volumus ut, uniuscuiusque dioeceseos sumptibus, duo electi iuvenes, aut saltem unus in praesenti, in Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum de Urbe, non intermissa vice, mittantur.

Quod autem attinet ad harum dioecesium administrationem et regimen, ad Vicarii capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi, servanda iubemus, quae sacri canones decernunt.

Quod vero ad clerum spectat, statuimus ut, statim ac dioecesium erectio facta fuerit, eo ipso presbyteri Ecclesiae illi adscripti censeantur, in cuius territorio legitime exstant. Nictheroyensis Ordinarii autem erit omnia documenta et acta novas dioeceses respicientia, quamprimum fieri poterit, earum Cancellariae tradere ut in proprio archivo serventur.

Episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et ceterae oblationes, quae a fidelibus, in quorum bonum dioeceses erectae sunt, praeberi solent; praeter ea, quae ad hunc finem collecta iam sunt.

Quae autem hisce Litteris, Apostolica auctoritate, a Nobis decreta sunt, nulli hominum, ullo unquam tempore, infringere, aut iis repugnare vel quomodolibet contraire liceat. Si quis, quod Deus avertat, hoc attentare praesumpserit, sciat obnoxium se evasurum esse poenis a sacris canonibus contra obsistentes exercitio ecclesiasticae iurisdictionis statutis.

Ad haec autem exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Henricum Gasparri, Archiepiscopum titularem Sebastensem, in Brasiliana Republica Apostolicum Nuntium, tribuentes ei necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere eidem imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem, quamprimum post has Litteras acceptas, mittendi authenticum exemplar exsecutionis peractae.

Decernimus denique has praesentes Litteras valituras, contrariis quibuslibet, etiam peculiari et expressa mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo secundo, die quarta mensis decembris, Pontificatus Nostri primo.

✠ C. Card. DE LAI, Episc. Sabinen.,
S. Congreg. Consistorialis Secretarius.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Iulius Campori, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ plumbi

Raphaël Virili, *Protonotarius Apostolicus.*

Reg. in Canc. Ap., vol. XXVII, n. 54.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULUS BASILICAE MINORIS CONFERTUR PAROECIALI ECCLESIAE BEATAE MARIAE VIRGINIS CONSOLATRICIS AFFLICTORUM, OPPIDI KEVELAER, DIOECESIS MONASTERIENSIS.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — In civitate *Kevelaer* appellata, prope Regni Hollandici fines, intra limites Monasteriensis dioecesis posita, Mariale sanctuarium praeclarissimum exstat, in quo iam ab anno MDCXXXXIII, miraculis inclyta, Beatae Mariae Virginis imago, titulo *Consolatricis afflictorum*, asservatur, maximaque christiani populi religione recolitur. Ingens fidelium multitudo peregre, tam ex Hollandia quam e Germania universa, confluentium, hoc sanctuarium celebrat quotannis, et ob innumeras impetratas gratias Virginis sacellum pretiosis votivis donariis renidet. Cum ingenti peregrinorum numero continendo iamdiu impar esset pristinum sacellum, nova, anno MDCCCLXIV, aedes exstructa dedicata fuit, molis amplitudine et structurae nobilitate insignis, nec non omnigenae artis operibus decora. Iconem autem Virginis Decessor Noster rec. mem. Leo PP. XIII per Cardinalem Archiepiscopum Coloniensem anno MDCCCXC aureo diademate sollemni pompa ornatam voluit. Hoc quidem in templo, sacra supellectili abunde praedito, in quo saepenumero sacrorum Antistites pontificalia agunt, frequens inservit clerus, et praepositus Parochus cum sex adiutoribus cappellanis animarum curam naviter gerit. Quare, cum venerabilis frater Ioannes Poggenburg, Episcopus Monasteriensis, suo et cleri populique nomine, enixis precibus Nos flagitaverit ut idem sanctuarium Basilicae titulo decorare dignemur: Nos, probe noscentes ipsam sacram aedem omnibus qualitatibus de more requisitis satis superque praestare, votis his annuendum, libenti quidem animo, existimavimus. Idcirco, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, ecclesiam paroecialem in honorem Beatae Mariae Virginis Consolatricis afflictorum, in civitate vulgo *Kevelaer* appellata, dioecesis Monasteriensis intra fines sitam, Basilicae appellatione sive titulo honorifico decoramus; simulque clero eidem templo addicto privilegium largimur deferendi tintinnabulum et conopaeum, non tamen auro vel argento

exornatum, cui liceat addere eiusdem ecclesiae sive Basilicae insigne, vulgo *stemma*.

Haec concedimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis aprilis, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status*.

II

INSULA ISLANDIA, A VICARIATU APOSTOLICO DANIAE SEIUNCTA, ERIGITUR IN PROPRII IURIS APOSTOLICAM PRAEFECTURAM.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Insula Islandia ad praesens usque tempus vicariatui apostolico Daniae adnexa mansit. Sed cum a sede sui Vicarii Apostolici longo distet interiecti maris intervallo, ut negotia spiritualia facilius inibi queant expediri, catholicae religionis dignitas postulat ut Nos, quibus Ecclesiarum omnium cura est divinitus commissa, huiusmodi impedimento obviam eamus. Quare, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, Nobis opportunum visum est, eamdem Insulam a dicto vicariatu apostolico seiungere atque in proprii iuris missionem erigere. Idcirco, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, Islandiam insulam a Daniae apostolico vicariatu segregamus eamdemque proprii iuris facimus et Praefecturae apostolicae titulo ac iuribus donatam, ipsam Presbyteris e Societate Mariae, vulgo de *Montfort* appellatis, administrandam committimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sine pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam

secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuslibet.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

DISTRACTO E VICARIATU APOSTOLICO DE BAHR-EL-GHAZAL TERRITORIO, ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA NILI AEQUATORIALIS IN AFRICA CENTRALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere ac feliciter eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi apostolatus officium, quo in terris, licet immeriti, fungimur. Iamvero cum dilectus filius Moderator Instituti Veronensis Filiorum Sacri Cordis Iesu nuper Nos flagitaverit ut a peramplo territorio apostolici vicariatus de Bahr-el-Gházal, in Africa centrali, regio ad orientem versus distraheretur ad novam inde missionem constituendam: Nos, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo fidei christianae progressui in praedicta regione aptius provideretur, ipsius generalis Moderatoris precibus annuendum existimavimus. Quam ob rem, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore, novam praefecturam apostolicam sub nomine *Nili aequatorialis* erigimus, eamdemque alumnorum Instituti Veronensis Filiorum Sacri Cordis Iesu curis committimus. Huius autem novae apostolicae praefecturae territorium e vicariatu de Bahr-el-Gházal distrahimus sive dismembramus, idemque constitui volumus ex tota illa regione ad orientem versus cuiusdam lineae, quae, incipiens ubi flumen *Bahr-el-Gebel* in flumen *Album Nilum* immittitur, sursum adscendit ad meridiem cursum dicti fluminis *Bahr-el-Gebel* usquedum, in sinistra ripa, limites provinciae de *Mongolla* attingit; deinde ad austrum (vulgo *sud-ovest*) sequitur fines provinciae *de Mongolla* usque ad Congi Belgici confinia.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere pote-

runt nunc et in posterum iugiter suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

ERIGITUR NOVA PRAEFECTURA APOSTOLICA DE BUEA, IN REGIONE KAMERONENSI, AFRICAE OCCIDENTALIS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Cum ex Apostolico munere, quo fungimur, Ecclesiarum omnium cura Nobis commissa fuerit, felici illarum statui ac prospero regimini pro re ac tempore consulere studemus. Iamvero, cum in ea Africae occidentalis regione, ubi Kameronensis colonia in praesens exsistit, ex qua, tempore belli europaei, nationalitatis germanicae missionarii expulsi sunt, opportunum Nobis visum sit consilium, ut uberiores valeant in Dominico agro fructus proferri, e missionibus de Kameron et de Adamaua separare finitima territoria, quae nunc anglicae ditioni subsunt, atque in iis novam apostolicam praefecturam constituere: Nos, omnibus rei momentis attento et sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt statuenda existimavimus. Nimirum, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, e missionibus de Kameron et de Adamaua territoria anglicae ditioni in praesens obnoxia seiungimus sive dismembramus, atque in iis novam praefecturam apostolicam, *de Buea* appellandam, constituimus. Volumus autem ut nova haec praefectura apostolica ex quatuor civilibus districtibus constet, nempe de *Victoria*, *Kumba*, *Manjé*, *Bamenda*, eamque curis committimus Sancti Iosephi de Mill-Hill Societatis alumnorum.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam

secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

V

DISMEMBRATO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO TRANSVAALENSI, NOVA ERIGITUR APOSTOLICA PRAEFECTURA DE LYDENBURG, IN AFRICA MERIDIONALI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — In dissitis potissimum longo terrarum marisque spatio ab hoc catholici nominis centro regionibus, ut facilior sternatur via ad christiani nominis auspicatum incrementum, vigili studio, pro supremi apostolatus divinitus Nobis commisso officio, consulere nitimur. Iamvero, ut in Transvaalensi territorio, in Africa meridionali, maiora fidei incrementa promoverentur, opportunum consilium Nobis visum est regionem, quae, ad orientem versus, vicariatum apostolicum de Transvaal adhuc constituit, ab eodem dismembrare et in separatam missionem erigere. Quare, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, motu proprio atque ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, statuimus ut a super enunciato vicariatu apostolico de Transvaal sequentes districtus civiles, nempe de *Lydenburg*, *Barbeton*, *Carolina*, *Middelburg*, *Béthal*, *Ermelo*, *Piet Retief*, *Wakkerstroom* et *Standerton* distrahantur sive separentur, atque inde nova apostolica praefectura sub nomine de *Lydenburg* erigatur, curis Sacerdotum Instituti Filiorum Sacri Cordis Iesu, nationalitatis germanicae, committenda. Volumus propterea ut nova haec praefectura apostolica de Lydenburg limitetur ad septentrionem a praefectura apostolica de Transvaal septentrionali; ad orientem a Lusitano territorio et a praefectura apostolica de Swaziland; ad meridiem a vicariatu apostolico Natalensi, a praefectura apostolica de Zululand et a libero statu de Orange.

Haec statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum iugiter suffragari; sicque rite iudicandum esse ac defi-

niendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VI

PIUS PP. XI

NOVA PRAEFECTURA APOSTOLICA GARIEPENSIS ERIGITUR IN AFRICA MERIDIONALI.

Ad futuram rei memoriam. — Quo christiani nominis propagationi aeternaeque saluti fidelium in finitimis territoriis vicariatuum apostolicorum Promontorii Bonae Spei districtus orientalis et de Kimberley in Africa meridionali aptius prospiceretur, cum Nobis opportunum visum sit consilium novam ibi condere missionem ac novos mittere apostolicos operarios: Nos, omnibus rei momentis sedulo studio perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, haec quae infra scripta sunt decernenda existimavimus. Nimirum, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, regionibus nonnullis a supradictis Districtus orientalis Promontorii Bonae Spei et de Kimberley vicariatibus apostolicis separatis, novam praefecturam apostolicam *Gariepensem* nuncupandam erigimus, Instituti Presbyterorum a Sacro Corde Iesu, nationalitatis germanicae, sodalibus committendam. Territorium vero novae huius praefecturae apostolicae constitutum volumus a regione septentrionali vicariatus apostolicis Promontorii Bonae Spei districtus orientalis, cuius limites dentur a finibus meridionalibus sequentium octo districtuum civilium, nempe de *Barkly-East*, *Wodehouse*, *Sterkstroom*, *Molteno Steynsburg*, *Middelburg Hannover* et *Richmond*, atque insuper a finitima regione vicariatus apostolici de Kimberley ad meridiem sita cuiusdam lineae quae efformatur a limitibus septentrionalibus districtus civilis de *Fauresmith* usque ad flumen *Riet*, a cursu huius fluminis usque dum in duas partes districtum de *Fauresmith* dividit, postea limites septentrionales districtuum de *Edemburg Smithfield* et *Rouxville* ad confinia vicariatus apostolici de Basutoland. Novae Gariepensis praefecturae sint ergo hi limites: ad septentrionem, vicariatus apostolicus de

Kimberley iuxta descriptos fines; ad orientem, vicariatus apostolicus de Basutoland et de Mariannhill; ad meridiem, vicariatus apostolicus Promontorii Bonae Spei districtus orientalis, iuxta limites de quibus supra; ad occidentem, praefectura apostolica Promontorii Bonae Spei districtus centralis.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum iugiter suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis iunii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

VII

ECCLESIA CURIALIS BEATAE MARIAE VIRGINIS DE NAZARETH, ARCHIDIOECESIS BELEMENSIS DE PARA, TITULO ET PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS AUGETUR.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Exstat in civitate *Belem de Pará*, Brasiliae, ecclesia paroecialis in honorem Beatae Virginis, a Nazareth nuncupatae, erecta, quae, molis amplitudine, artis operum magnificentia, divini cultus decore et fidelium frequentia et pietate celeberrima, inter praecipua Brasilianae ditionis Beatissimae Virgini Mariae dicata sanctuaria iure meritoque accenseri potest. Hodiernus huius ecclesiae parochus, dilectus filius Alfonsus M. Giorgio, e Clericorum Regularium Barnabitarum, qui in eodem templo divino cultui inserviunt, familia, nec non maiores Superiores Sancti Pauli Barnabitarum, enixis Nos precibus flagitant ut ipsum templum ad Basilicae gradum evehere de Nostra benignitate dignemur; hasque preces cumulat et ornat venerabilis fratris Sanctini Mariae da Silva Coutinho, archidioecesis Belemensis de Pará Archiepiscopi, gravissimum suffragium. Nos autem, quibus nihil antiquius est quam ut fidelium pietas erga gratiarum omnium apud Deum sequestram Virginem magis magisque amplificetur, votis hisce piis ultro libenterque annuentes, audito venerabili fratre Nostro Antonio S. R. E. Cardinali

Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, ecclesiam paroecialem in honorem Beatae Mariae Virginis, de Nazareth nuncupatae, Deo dicatam, Clericorum Regularium Congregationis Sancti Pauli Apostoli, vulgo Barnabitarum, curis commissam, in civitate archiepiscopali Belemensi de Pará, Brasiliae, exstantem, ad maiorem Dei gloriam, Deiparae Virginis Nazarenae honorem, nec non ad religionis incrementum, apostolica Nostra auctoritate, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Basilicae titulo et dignitate cohonestamus, cum honorificentiis et privilegiis conopaei, omni tamen aureo et argenteo ornatu excluso, simulque tintinnabuli et stemmatis basilicalis.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas et efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt nunc et in posterum perpetuo suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIX mensis iulii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD R. P. D. IOSEPHUM RUMEAU, EPISCOPUM ANDEGAVENSEM: OB NATALEM QUINQUAGESIMUM SACERDOTII ET VICESIMUM QUINTUM EPISCOPATUS EIUS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Ea quidem animarum Pastoribus identidem eveniunt, quae cum sint ipsa laetitiae plena et fideles ad publicas gratae studiosaeque voluntatis suae testificationes mirifice incendant, quasdam veluti requietis solaciique moras cotidianae vitae curis laboribusque interiiciunt. Eiusmodi profecto opportunitates duplex ille habet natalis tuus, quem accepimus in vertentem annum incidere, quinquagesimus videlicet sacerdotii praetereaque quintus ac vicesimus episcopalis muneris; atque utriusque eventi faustitatem Nosmet delato tibi sacri honore Pallii augere studuimus. In comperto enim est, quam multa, quam praeclara in dioecesis istius bonum usque adhuc

egeris, ut dici iure queat, eandem admodum raro per superiores aetates tantum attigisse prosperitatis. Quam quidem Ecclesiam ubi primum gubernandam suscepisti, visus tibi es non posse melius de patria ipsa tua mereri, quam si omnes cogitationes curasque in rectam cleri populique institutionem contulisses. Quamobrem catholicam Andegavensem Studiorum Universitatem, inlustre bonarum artium domicilium, tu ipsemet in primis, venerabilis frater, firmiter constituere et constabilire; scholas aperire novas, quas, uti constat, plerique iam istorum adulescentium celebrant; Seminaria et Conlegia vel e solo excitare vel per iniuriam ablata redimere, ubi iuvenes hodie plus trecenti ad sacerdotium contendunt; clerum ad christianam doctrinam populo tradendam, praescripto catechesis curriculo, aptiorem efficere, eundemque, quo decet spiritu atque ecclesiasticae disciplinae amore, Synodo quoque habita, plenius imbuere ac perfectius. Neque id minus in laude tua ponimus, quod, cum, flagrante bello, sanctissima proximi decessoris optata atque incepta in malam partem acciperentur, diserte, ut soles, dicendo scribendoque, perturbatos civium tuorum animos ad aequam rerum aestimationem traducere nisus es: in quo nescimus utrum magis probemus, vimne iudicii intellegendique prudentiam, an pietatis observantiaeque in Apostolicam Sedem tuae praenobile testimonium. Conscientia igitur recte factorum te, venerabilis frater, per haec duplicis eventi sollemnia, et sinat communis laetitiae significationibus in Domino frui, et in spem uberrimae a Domino mercedis erigat. Interea cum gratulationibus ominibusque Nostris apostolicam accipe benedictionem, quam, caelestium donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et universo clero populoque tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XI mensis iulii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

II

AD R. P. D. AGUSTINUM FERNANDUM LEYNAUD, ARCHIEPISCOPUM ALGERIENSEM: DE CONCILIO PROVINCIALI IN MENSEM NOVEMBREM INDICTO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum in eo esses ut Concilium Provinciale publice in mensem novembrem indiceres – alterum ab eo quod abhinc quinquaginta annos decessores vestri habuerunt – officiosissimas dedisti ad Nos litteras, quibus, post testatam,

verbis tuis ac suffraganeorum tuorum, pietatem atque observantiam qua Nos et Apostolicam hanc Sedem colitis, flagitabas ex animo, ut incepto haud ita multo post exsequendo bene auctoritate Nostra diceremus. Atque profecto est cur et vobis bene precemur et laetissimum laboribus vestris ominemur exitum, cum id vobis salubriter proposueritis, ut non modo sollemniter profiteamini sentire vos quod Ecclesia sentit, damnare quod Ecclesia damnaverit, sed etiam ecclesiasticam disciplinam in dioecesibus vestris ad Codicis praescripta, remota omni, quantum fieri poterit, varietate, ordinetis. Persuasum enim est vobis, et recte quidem, clerum populumque vestrum, quo religiosius disciplinam illam retineat, qua Romana Ecclesia, omnium mater magistraque, utitur, eo arctius cum eadem Ecclesia coniunctum iri, unde fidei caritatisque vis atque virtus veluti in viscera totius catholici orbis permanat. Placet praeterea comperire, disceptaturos in Concilio vos esse, qua faciliore posthac atque opportuniore via infidelibus, quorum tam ingens est in Africa numerus, veritatem et salutem impertire liceat. Ad consilia autem et ineunda sapienter et quam primum perficienda adsint vobis, precamur, sanctissimi ii Episcopi, qui Africam christianam prioribus Ecclesiae aetatibus inlustrarunt, ut Cyprianus, ut Augustinus, ut Optatus, ut Fulgentius; neque minus faveat innumerabilis eorum martyrum multitudo, qui regiones istas, ut insigni olim gloria affecerunt, sic patrocinio tueri suo e sede beatitatis aeternae non desinent. Quae ut spes bona, quam tecum participamus, feliciter expleatur, ipsa quoque efficiat apostolica benedictio, quam tibi, venerabilis frater, provinciae tuae Episcopis atque universo clero populoque Algeriensi, paternae benevolentiae Nostrae testem, peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIV mensis iulii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

III

AD EMUM P. D. PETRUM, TIT. SS. XII APOSTOLORUM, S. R. E. PRESB. CARD. LA FONTAINE, PATRIARCHAM VENETIARUM, CETEROSQUE VENETORUM EPISCOPOS: DE CONCILIO PROVINCIALI PROXIME AB IIS HABENDO.

Dilecte fili Noster, venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — In litteris, quas die quarto huius mensis ad Nos communiter dedistis, talis quidem inerat pietatis erga Nos vestrae significatio,

talis suaviloquentia, ut non mediocrem inde ceperimus animo delectationem. Mittimus quae de recentiore quadam Epistula Nostra haud inconsulte dicitis; at certe nihil Nobis foret antiquius, quam ut controversiae, quae adhuc populos distinent, in mutuo iustitiae pacisque osculo componerentur. Atque ut ad ea properemus, quae pressius vobis scribendi occasionem praebuerunt, libenter accepimus, vos idcirco Venetiis congregatos esse, ut Concilii Provincialis, quod proxime habebitis, decreta disceptando appararetis. Quarum quidem legum lationem dioecesibus uniuscuiusque vestris esse summopere profuturam ex ipsa coniicimus, qua excellitis, animarum caritate gubernandique prudentia; quae utraque profecto effecerit, ut sint eaedem et sapienter conditae et ad usum aptissime accommodatae. Verumtamen, quoniam ipsimet « in suscepti operis auxilium, benedictionis » Nostrae « efficaciam » advocabatis, cum officium pietatis vestrae dilaudemus, tum futuro provinciae istius ecclesiasticae Concilio bene precamur; cupimus autem optamusque, ut clerus populusque Venetae regionis, qui fidei integritate et religionis studio nullo non tempore floruit, curae diligentiaeque Antistitum suorum, parendo atque obediendo, ultro respondeat. Caelestium interea donorum conciliatricem, paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster, venerabiles fratres, et gregi universo, quem singuli moderamini, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis iulii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IV

AD EMUM P. D. IOANNEM BAPTISTAM, TIT. S. MARIAE IN TRANSPONTINA, S. R. E. PRESB. CARD. NASALLI ROCCA, ARCHIEPISCOPUM BONONIENSEM, QUEM LEGATUM MITTIT CAESENAM UT SOLLEMNIBUS SAECULARIBUS IN HONOREM PII VII AGENDIS PRAESIDEAT.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum archidioecesim ex Aemilia modereris, profecto non ignoras, quam ardenti studio Caesenates praestantissimum civem suum Pium VII, cuius ab obitu annus vertitur centesimus, commemorare parent. Praenobile equidem inceptum vehementer probavimus, atque, ut par erat, quantum per Nos licuit, adiuvimus. Interea, quotquot in eo perficiendo elaborant, eos

hortati paterno animo sumus, ut per saecularia eiusmodi sollemnia non modo immortalis memoriae Pontificem ornarent atque efferrent, cuius magnitudo et fortitudo animi, cum sanctimoniae laude coniuncta, in tot tantisque difficultatibus, in exsilio, in custodia, in omne genus aerumnis mirifice eluxit, verum etiam curarent ut regionis istius cives, rebus gestis decessoris illius Nostri plenius perspectis ac cognitis, amantiores Apostolicae Sedis exsisterent et catholice sentiendo vivendoque arctius Nobiscum coniungerentur. Quae quidem optata Nostra fore ut, benignitate Dei, prospere succedant, vel ipsa sperare iubet praeparatio rerumque ordinatio, qua Consilium e Caesenatibus delectum viam sibi veluti munit ad Pontificis memoriam die vicesimo proximi mensis magnifice recolendam atque honestandam; Pii enim Septimi vitam ac promerita, cum per diaria et late diffusa in vulgus commentariola, tum per contiones, quae aliae ex aliis ab eruditis viris habentur, inlustrare non desinit. Iam non restat nisi ut sacra saecularia tanti decessoris Nosmet ipsi participando augustiora efficiamus. Quare cum per te, dilecte fili Noster, quasi praesentes adesse velimus, tibi committimus, ut Caesenam per eos dies adeas ibique Nostram geras personam; aucto autem sic celebrationis splendore, utinam celebrationis ipsius fructus feliciter augeantur. Caelestium interea donorum conciliatricem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis iulii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

V

AD R. P. D. HENRICUM IGNATIUM PRZEZDZIECKI, EPISCOPUM PODLACHIENSEM SEU IANOVIENSEM: DE INDICTA AB EO DIOECESANA SYNODO.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Restitutam abhinc quinque annos a proximo decessore Nostro dioecesim istam – cuius quidem eventi participes Nosmet ipsi fuimus cum in Polonia Visitatoris Apostolici munere fungebamur – tam studiosa voluntate regundam cepisti, ut de recta eiusdem ordinatione bene sperare iam tum liceret. Qua in spe bona confirmati equidem sumus, cum, anno MDCCCCXIX, pro officio Nostro Ianoviam venimus; et periucunde meminimus, quam pie, quam cupide fideles tui stiparent Nos cum in cathedrali templo lita-

remus. Quae igitur litteris nuper ad Nos datis et multa et laetabilia de statu dioecesis tuae nuntiabas, ea, quamquam Nobis magnam partem cognita, tamen haud minore Nos delectatione affecerunt. Comperire item placuit, te primam dioecesanam Synodum in postremos mensis augusti dies indixisse, qua eo spectas, ut res institutas adhuc feliciter, felicius confirmes ac perficias, et alia, quibus supersederas, quaeque hodie ad effectum deduci posse videantur, tandem aliquando, collatis cum clero consiliis, decernas. Quam quidem convocando Synodum, laboriosum profecto opus aggressus es, at cum lege ecclesiastica apprime congruens, ad territorii istius autem necessitates accommodatissimum, ubi, non ita pridem, imperiosus dominatus, ut cives vi cogeret a catholica Ecclesia deficere, divina atque humana omnia iura permiscuit. Laboris autem socios cum plurimos e clero adsciveris, iidemque, ut scribis, in capitibus rerum apparandis quae in Synodo disceptabuntur, nihil aliud nisi Dei gloriam animarumque salutem sibi proposuerint, minime dubitamus quin dioecesis ista tua haud mediocre capiat e legum Synodalium latione incrementum. Bene igitur, ut postulas, Coetibus proxime ineundis precamur, atque a datore bonorum omnium Deo illud exposcimus, ut ea tantummodo statuas quae Ipsi placeant gregique prosint tuo, et, quae deliberando statueris, eadem a clero populoque isto, Nobis carissimo, fideliter accurateque serventur ac retineantur. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et universis clericis fidelibusque tuae gubernationi commissis apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXI mensis iulii anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VI

AD EMUM P. D. DESIDERATUM, TIT. S. PETRI IN VINCULIS, S. R. E. PRESB. CARD. MERCIER, ARCHIEPISCOPUM MECHLINIENSEM: DE CONVENTU MISSIONALIUM LOVANII PROXIME HABENDO.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Officiosissimam epistulam, quam, tua ipsius commendatione fultam, ad Nos dederunt religiosi ii viri, quibus constat Consilium apparando habendoque proxime Lovanii missionalium Conventui, libenter perlegimus, eiusdemque

et sententiam et summam libentius quidem probavimus. Neque enim alienum a Nobis esse queat, ut sumus catholicarum Missionum studiosissimi, quicquid ubique gentium fit provehendis earum utilitatibus. Immo etiam quisquis consideraverit de quibus rerum capitibus ibidem videndum sit, is facile animadvertet, haud dissimilia proximo decessori Nostro atque Nobismet ipsis curae iterum atque iterum fuisse. Etenim, a Lovaniensi Consilio isto proposita, haec, praeter alia, in deliberationem cadent: quae videlicet sint principia, quibus apostolatus regitur; quo pacto infideles ad Christum allici et perduci, pro locorum, stirpium ingeniorumque varietate, queant; quo aptiore rerum temperatione constitui atque ordinari novae christianorum communitates debeant; quae agendi ratio missionalibus cum sui cuiusque territorii gubernatoribus aemularumque sectarum administris sit adhibenda. Quo in genere pro certo habemus, si quidem missionales undique frequentissimi Lovanium coëant et, quae diu experiendo didicerint, in commune conferant, fore ut talis inde exsistat ac congeratur cognitionum copia, quam ad usum transferre Missionum tirones percommode possint. Iis igitur missionalibus, qui ad indictum Conventum se conferent, ipse esto, dilecte fili Noster, testis Nostrae erga eos benevolentiae; quorum labores ut saluberrimos afferant fructus, efficiat apostolica benedictio, quam tibi iisque universis, caelestium munerum auspicem, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis iulii, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

VII

AD R. D. IOSEPHUM ALLAMANO, ARCHIDIOECESIS TAURINENSIS SACERDOTEM, RECTOREM SANCTUARII A BEATA MARIA VIRGINE CONSOLATA: OB QUINQUAGESIMUM SACERDOTII EIUS NATALEM.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum in diem primum ac vicesimum proximi mensis quinquagesimus incidat sacerdotii tui natalis, occasione sane pulcherrima utimur, ut benevolentiam erga te Nostram publice testemur, qua Nobis dignus in primis videris ob plurima quae, hoc tam diuturno sacerdotalis muneris spatio, tibi peperisti in Ecclesiam Dei et vel in ipsum cultum humanum civilemque promerita. Id quidem tibi, ardentique tuae erga Beatam Virginem pietati, Tau-

rinenses cives acceptum referunt, quod, Rector tertio et quadragesimo ante anno aedis sacrae, quam a *Consolata* vocant, delectus – quo in officio adhuc perdiligenter versaris –, Sanctuarium istud non modo amplificaveris ac paene a fundamentis refeceris, sed etiam artis operibus ornandum marmoribusque pretiosissimis tegendum curaveris. Verum laus haec tua, quantumvis praeclara, secundo loco et numero habenda est, si cum opera illa curaque comparetur, quam in salutem animarum clericorumque institutionem et sanctimoniam provehendam tam diu impendisti. Te enim, quem avunculus ille tuus Ioseph Cafasso spiritus sui heredem reliquisse videatur, vixdum ministerium sacrum inchoaveras, sapienti pietatis magistro alumni usi sunt e seminario Taurinensi; ex quo autem, Rector Basilicae a Consolata, continentis Conlegii ecclesiastici regimen suscepisti, mirum quantum in expoliendis doctrina pietatis et virtute sacerdotibus qui per biennium ibidem instituuntur, elaborasti et desudavisti. Unde factum est, ut ad plura centena enumerentur sacrorum administri – ex his autem episcopi atque archiepiscopi bene multi – qui se ad institutum vitae ecclesiasticis viris dignum a te conformatos esse gaudeant. At quidem, quae adhuc egregie facta commemoravimus, ea haud satis fuerunt animarum studio quo flagras. Quamobrem anno MDCCCCII Institutum virorum, anno autem MDCCCCX Institutum mulierum condidisti, quorum utrumque, a Consolata nuncupatum, in exteras Missiones incumberet; isque iam missionalium Sororumque numerus in regiones infidelium traiecit, eoque ardore laboriosa explet apostolatus officia, ut tui, dilecte fili, qui in certamen descenderunt postremi, veteranis ex aliis Sodalitatibus aut non multum aut nihil omnino cedere videantur. Quae quidem omnia considerantibus, licet Nobis coniicere, quam late proximi huius laetitia eventi in animos Taurinensium, in veteres recentesque alumnos et filios redundare debeat. Quorum vota et omina votis ominibusque Nostris cumulamus, optantes, ut communi omnium veneratione et amore diutissime fruaris et, quantum vitae supererit, tempus id omne ad maiores utilitates Ecclesiae procurandas naviter, pro more tuo, conferas. Caelestium interea gratiarum auspicem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, dilecte fili, et Conlegio Sodalitatibusque quibus praees, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die V mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP XI

VIII

AD EMUM P. D. CAIETANUM EPISCOPUM SABINENSEM S. R. E. CARD. DE LAI, SACRI CONLEGII SUBDECANUM, QUEM LEGATUM MITTIT GENUAM AD VII CONVENTUM EUCHARISTICUM NATIONIS ITALICAE.

Venerabilis frater Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Indictus ante in mensem maium, posteaque iustis de causis dilatus, Genuae in urbe Liguriae principe, proximo mense ineunte, Conventus habebitur septimus e tota Italia Eucharisticus, cui quidem, cum ob magnam rei amplitudinem dignitatemque, tum ob liberalissimum inlustris eius civitatis hospitium, Legatum Nostrum ex Alma hac Urbe profectum omnino decet praeesse. Id autem munus tibi, venerabilis frater Noster, perfungendum committimus, non modo quia Sacri Purpuratorum Patrum Conlegii decus es atque ornamentum, sed etiam quia non ignoramus quam flagranti Augustum Sacramentum pietate colas, de quo commentarium sane egregium haud ita multo ante conscripseris typisque edendum curaveris. Futurum ita est, ut non tam votis atque animo, quam proprie per te, qui Nostram geres personam, Nosmet ipsi per eos dies inter filios Nostros versemur vel Genuae incolas vel ex omni Italiae angulo congressos; quorum erit singulari modo infinitam Christi Iesu caritatem extollere ac venerari, qui, ut nobiscum perpetuo maneret et facillimi, immo communis esset aditus, vel ipsam humanitatem suam sub Eucharisticis velis occuluit. Quod autem in postremo Consistorio, cum tam acriter tamque late excitari in Sanctissimam Eucharistiam christiani populi studium videremus, veluti gaudio conclamavimus, id Nos merito fecisse, Conventus ipsius Genuensis exitus liquido comprobabit; quem ita apparari novimus, ut is ante actis e natione tota conventibus, qui superari aegre posse ad hunc diem viderentur, in honoribus Augusto Sacramento habendis sit facile antecessurus. In quo facere non possumus, quin reputemus, quantam desideratissimus decessor Noster Benedictus XV e studiosa eiusmodi civium suorum voluntate delectationem capturus fuisset, si adhuc huius lucis usura frueretur. Verumtamen adnitendum praecipue est, ut Conventus hic, cui tu, venerabilis frater Noster, auctoritate Nostra praeeris, illud demum assequatur, quo spectare didicimus studia ac disceptationes singulorum coetuum, id est ut incruentum Altaris Sacrificium a fidelibus cum interius altiusque cognoscatur, tum quanti oportet aestimetur: qua in re nimium multos peccare et plane

constat et dolent Nobiscum vehementer sacrorum Antistites. Incruentum Altaris Sacrificium dicimus, in quo Christus Iesus, interpres apud Patrem noster, officia, quibus homines tenentur, ipsemet pro nobis, adorando et gratiis agendis, expiando precandoque, explet: unde etiam, cum recolat idem repraesentetque Christi Passionem fructusque redemptionis conferat, gratiarum copia in universum terrarum orbem defluit itemque in animas purgatorio igne detentas *refrigerium lucis et pacis*. Sed cum pro certo habeamus omnia in Conventu rite actum iri non sine maxima fidelium utilitate, placet iam nunc mentis oculos in pompam coniicere, quae, Conventu dimisso, ita per maritimum portum ducetur, ut, Augusto Sacramento per manus Legati Nostri in navigium reverenter inducto atque ibidem magnifice vecto, Christum Iesum in navicula Petri mare Tiberiadis traiicientem veluti videre videamur. Quodsi civitas Genuensis, gloriosioribus reipublicae suae aetatibus, portum admirari consueverat navibus longis et onerariis differtum, quae aut victrices ex bello, aut frumento, auro divitiisque omne genus onustae, facta mercatura, domum rediissent, eadem nullum profecto unquam triumphum spectavit illius similem, quem Regi Pacifico nuper ipsamet decrevit paratque actuosissime. Atque exsultabit quidem Beatissima Virgo ab Excubiis, cum e Sanctuario, unde Genuenses custodit ac protegit, Filium suum, « mirabilem in altis Dominum », intuebitur tam magna ovantium multitudine et pacem caritatemque sitientium undique stipatum. O benedicat Augustum Sacramentum, tuis, venerabilis frater Noster, elatum manibus, mari omni, depulsisque ab eo tempestatibus et populorum fluctibus, sinat hinc inde tranquilla vehi navigatione homines qui mutuas necessitudines commeatusque inter gentes fovent, et missionales potissimum, qui cum evangelica doctrina humanum civilemque cultum feris barbarisque regionibus afferre parant. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater Noster, et iis universis qui Genuam conventuri sunt, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die x mensis augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

IX

AD R. P. D. ALOYSIUM MARIAM MARELLI, EPISCOPUM BERGOMENSEM: DE SYNODO DIOECESANA AB EO INDICTA DEQUE SUBSEQUENTIBUS SOLLEMNIBUS SANCTI ALEXANDRI MARTYRIS.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Dioecesanam Synodum, qua ad emendandam confirmandamve cleri populique tui disciplinam nullum profecto aptius adhibeas remedium, inchoabis absolvesque propediem, eandemque praecipua in triduum sollemnia consequentur, quae, in honorem indicta Alexandri Martyris, magna fidelium istorum multitudo, praeeuntibus duobus e Sacro Cardinalium Conlegio Patribus atque aliquot Episcopis, celebratura quidem est ac participatura. Fructus autem utrumque eventum sperare iubet uberrimos: alterum, quia promulgandas in Synodo leges, spectatis viris in consortionem laborum adscitis, ad Codicis praescripta et ad usum atque experientiam proxime superioris aetatis accommodasti; alterum, quia invicta Bergomensium fides ac pietas ex delatis caelesti civitatis dioecesisque Patrono honoribus capiet unde exardescat acrius atque in rei catholicae tuitionem vehementius prosiliat. Coetibus igitur die vicesimo huius mensis ineundis, ut postulas, bene precamur; bene item dicimus iis universis, qui vel e remotissimis dioecesis pagis istuc peregrinaturi sunt ut sacrum Alexandri corpus invisant ac venerentur. Iam vero ut e duplici eiusmodi faustitate maior in fidelium animos emanet utilitas, damus libenter, ut postremo Synodi die ipsemet, venerabilis frater, adstantibus Nostro nomine benedicas, proposita plena admissorum venia usitatis condicionibus lucranda; ac praeterea concedimus, ut per proxima Alexandri Martyris sollemnia, semel tantum, quo ipse malueris ex tribus die, eadem benedictio a te impertiatur vel ab eo alio Antistite, qui sacris pontificali ritu eo ipso die operabitur. Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, et clero populoque tuo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XIII mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

X

AD EMUM P. D. AIDANUM, DIACONUM S. MARIAE IN PORTICU, S. R. E. CARD. GASQUET: DE SOLLEMNIBUS QUATER DECIES SAECULARIBUS IMAGINIS S. MARIAE IN PORTICU.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Nuntiatum est Nobis, cum die XVII mensis iulii, futuro anno MDCCCCXXIV, quartum decimum compleatur saeculum postquam in aedibus Gallae Imago Sanctae Mariae in Porticu « primum visibilis » piissimo decessori Nostro Ioanni I et « omni romano populo apparuit », fore ut, curante Consilio e primoribus Urbis delecto, saecularia tam praeclari eventi sollemnia per annum a die II posteri mensis februarii habeantur. Res quidem occurrit dignissima, in quam, more maiorum, et ipsimet auctoritatem interponamus Nostram et populus romanus uberioribus pietatis significationibus incumbat. Nec enim quisquam numeratur in decessoribus ex eo tempore Nostris qui de Maria in Porticu siluerit aut neglexerit; immo etiam, si quid aliquando actum ad eam magnificentius colendam, Romani Pontifices cum Senatui, tum omni civium ordini, hortatione et exemplo praeivere. Atque, ut res paulo altius delibando repetamus, constat, e rerum gestarum monumentis, postquam sanctissimus ille Pontifex et Martyr Ioannes « in eodem palatii loco » Aedem sacram exstruxerat ibique publice venerandam proposuerat Imaginem, quae civibus gravi tum pestilentia conflictantibus mirifica incolumitatis tranquillitatisque solacia attulisset, adeo hinc Virginem privatis communibusque precibus concessisse, inde popularem erga eam increbruisse pietatem, ut, cum Liberiana Imago – una per Urbem hac Imagine vetustior atque insignior – *Salus populi romani* nuncuparetur, Maria in Porticu haud minus belle amanterque *romanae Portus securitatis* appellata atque habita sit. Cognitum enim experiendo est, si qua superioribus aetatibus in Urbem ingruit calamitas aut impendere visa est, Beatissimam eo titulo Virginem a praesenti discrimine supplicantem sibi populum eripuisse. Ut, cum, plus sexies, per sollemnes invocata pompas, quas cum Senatu et optimatibus Pontifex ipse plerumque participabat, pestilentiam aut a finibus depulit aut invectam serpentemque restinxit; quodsi, abhinc sex et quinquaginta annos, contagione, quae Urbem infecisset, satis multi sunt miserrime interempti, at constat, incolumes saltem eos exstitisse omnes qui de paroecia Mariae in Porticu essent. Quo in genere duo placet eventa singulatim reco-

lere, quorum memoria cum rerum romanarum memoriâ arctius profecto copulatur. Cum scilicet pestilentia, Alexandro VII Pontifice Maximo, e Neapolitano regno in Urbem invasisset, Senatus populusque romanus votum coram ea Imagine nuncupavit, si eiusmodi contagio desiisset, se Aedem sacram in eius honorem e solo excitaturum, quae latius, quam prior illa, pietati civium pateret; re autem ex optatis protinus impetrata, idem Pontifex posuit lustravitque anno MDCLX auspicalem novi templi lapidem, in cuius quidem templi absida, septimo post anno, venerabilis Imago translata sollemni ritu est. Praeterea, cum haud multo post, Clemente XI Pontifice Maximo, Urbs terrae motu concussa esset, idem Senatus populusque denuo se ad eius altare supplicem proiecit, pollicitus de ieiunio pridie diem festum Purificationis ab universa civitate in centum annos servando; quod quidem votum, elapso eo saeculo, in perpetuum renovavit. Fore igitur prospicimus confidimusque, ut, quae nunquam in Urbe intermissa est ac resedit Beatissimae Mariae in Porticu religio, eam etiam atque etiam foveant provehantque saecularia sollemnia, quae a Consilio isto, cui tu, dilecte fili Noster, honoris causa praees, naviter studioseque apparantur. Quod autem clarissimi e Consilio viri iterum typis exscribendum curant, recognitum quidem atque emendatum, commentarium illum de Imagine eiusque cultu, qui in lucem abhinc unum et viginti annos prodiit, id Nobis videtur fieri percommode; at summopere interest, eum librum latissime pervulgari ut ad quam plurimos perveniat, cum nullum e populo hoc Nostro ignorare deceat quae quantaque romani cives eidem Virgini beneficia debeant. Sciant, ceteroqui, dilecti e Consilio filii, quicquid, in hac faustitate eventi, in honorem Mariae in Porticu facturi sunt, id Nos et iam nunc admodum probare et nullo non tempore gratâ memoriâ prosecuturos. Atque non modo ad eos ipsos, sed etiam ad omnes quotquot in apparanda eiusmodi sollemnia stipem operamque suam contulerint, pertinere volumus apostolicam benedictionem, quam, caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, ex animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XI

AD EMUM P. D. CAMILLUM, DIACONUM S. MARIAE SCALARIS, S. R. E. CARD. LAURENTI, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONVENTUM EUCHARISTICUM TURRITANUM.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Venerabiles fratres Sardiniae Episcopi, cum in diem tricesimum huius mensis Conventum Eucharisticum, e tota regione primum, indixissent, per quadriduum in Turritana urbe habendum, rogarunt Nos vehementer, unum aliquem e Sacro Cardinalium Conlegio delegaremus, qui et coetibus Nostro nomine praeesset et sacra sollemnia romanae purpurae dignitate splendidiora efficeret, ad quae, pro sua in Augustum Sacramentum pietate, insulani catervatim convolabunt. Qui quidem Conventus fore ut Christo Iesu sub Eucharisticis velis latenti generosos Sardorum animos arctius obstringat et in triumphalem desinat pompam, vel ipse suadet prosperrimus duorum, qui haud ita multo ante acti sunt, dioecesanorum Conventuum exitus. Sed praeterea ex ipsis rerum capitibus, quae in coetibus per eos dies disceptabuntur, iure optimo coniicimus, quotquot intererunt, si quidem inde conscii plenius evaserint eorum in Eucharistiam officiorum, de quibus pro sexuum atque aetatum discrimine sermo instituetur, eos ita domum reversuros, ut non modo caelestis mensae appetentiores, sed etiam Eucharistici cultus apostolos se praestent in posterum. Placet igitur, te, dilecte fili Noster, ad id munus deligere, ut Nostram apud Turritanum Conventum geras personam; volumus enim per temet ipsum quasi praesentes adesse et honoribus Augusto Sacramento deferendis praecipue delectari. Nec, ceteroqui, dubitamus quin hanc perlibenter suscipias obeasque legationem, cum Sanctissimae Eucharistiae et caritas animo tuo infixa penitus haereat et laudes in ore tuo dulciter sonent. Carissimis autem e Sardinia filiis dicito Nostris verbis, nihil eos Nobis antiquius facere posse, quam ut Christum Iesum, qui Eucharistiam instituendo *in finem dilexit eos*, potissimum redament et a civibus suis redamandum quoquo pacto curent. Caelestium interea donorum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili Noster, iisque universis qui ad Conventum confluent, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis augusti, in festo Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XII

AD EMUM P. D. CAIETANUM, PROTODIACONUM SANCTAE AGATHAE GOTHORUM, S. R. E. CARD. BISLETI: DE CONVENTU EUCHARISTICO UTINENSI.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Rogatum te esse ut Conventui Eucharistico Utinensi praesideres eundemque romanae purpurae splendore honestares, haud mediocri audivimus cum voluptate animi; nec minus iucunde comperimus, eas te preces benigne admisisse et parare Utinum ea de causa proficisci. Mos quidem pulcherrimus inductus iam pridem est, ut minores Eucharistici Conventus maioribus viam veluti muniant: unde factum, ut Genuensi, qui, mense septembri ineunte, fidelibus totius nationis constabit, satis multi antecesserint, aut proxime antecedant, eorum quos dioecesanos ac regionales vocant. Quare, ut orbes undarum maiores circumducuntur minoribus, sic animorum in Eucharistiam ardor latius excitatur in dies; et quandoquidem homines hac tanta caritatis flamma, alius ex alio, incenduntur et ad Christum Dominum grati ac memores revocantur, consentaneum profecto est, societatem ipsam civilem suavissimum Regis Pacifici imperium haud multo serius recipere, quod per recentiora haec tempora detrectando pervicaciter abnuerat. Cuius quidem emendationis spem bonam afferunt publicae popularis in Augustum Sacramentum pietatis significationes; afferunt item pompae magnifico apparatu per urbium vias, dimissis Conventibus, ductae, et vis ipsa fidei caritatisque in fletus, in plausus, in clamores erumpens. Quotquot autem Utinum, te, dilecte fili Noster, praeside, congressuri sunt, ii haud sane minorem sui Nobis commovent exspectationem quam ceterarum dioecesium filii; neque enim ignoramus, Venetos in avita religione haerere constanter atque ad omnia pietatis testimonia exardescere. A te, ceteroqui, libentissime audiemus, cum ad Nos redieris, quae ii ipsi in coetibus de provehendo Eucharistiae cultu atque usu decreverint, et quos per hanc occasionis faustitatem Augusto Sacramento honores detulerint. Caelestium interea munerum conciliatrix paternaeque benevolentiae Nostrae testis sit apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili Noster, atque iis universis qui Utinum convenient, peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XIII

AD MARIAM PRINCIPEM VIDUAM RADZIWILL: DE TEMPLO IN HONOREM SACRATISSIMI CORDIS IESU IN VARSAVIAE SUBURBIO EIUS SUMPTIBUS EXSTRUCTO.

Dilecta in Christo filia, salutem et apostolicam benedictionem. — Probe meminimus, Nos, cum Nuntii Apostolici munere istic fungeremur, Pragam in Varsaviae suburbio adiisse ut templum inviseremus, quod eo tempore in honorem Sacratissimi Cordis Iesu aere tuo exstruebatur, eiusdemque cum pulchra lineamenta, tum amplitudinem magnificentiamque admiratos esse et meritis extulisse laudibus; nuperrime autem accepimus, aedem illam, omnino absolutam, postridie calendas proximi mensis consecratum iri. Facile coniicere potes quantum hac re delectemur, cum et maiori amantissimi Cordis Iesu gloriae et bono incolarum eius suburbii tam bene consultum videamus. Novum profecto templum, ut tuis et communibus curionis paroeciaeque civium votis concederemus, privilegiis ornare per apostolicum Breve properavimus; iam igitur non restat, nisi ut peculiarem benevolentiam erga te Nostram publice significemus, quemadmodum his Litteris Nostris libentissime facimus, atque ut a Christo Iesu, cuius infinitae caritatis tam insigne monumentum exstare volueris, uberrimam tibi optemus et in terris et in caelo remunerationem. Cuius quidem auspicem, paternaeque voluntatis Nostrae testem, tibi, dilecta in Christo filia, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

XIV

AD R. P. D. ELIAM HUAYEK, PATRIARCHAM ANTIOCHENSEM MARONITARUM: AD GRATULANDUM QUINTUM AC VICESIMUM PATRIARCHALIS DIGNITATIS ANNUM.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae ab initio vertentis anni Syri Maronitae agunt, alia post alia, apud Libanum sollemnia, ut beneficia commemorent, quae per hos quinque et

viginti patriarchalis muneris annos nationi tuae contulisti, iis veluti adesse per has Litteras Nostras volumus eademque participando cohonestare. Quodsi, pro Nostra cum catholici orbis Praesulibus fidei caritatisque coniunctione, fieri non potest quin, quae iis laeta contigerint, ea Nos quoque laetificent, at singularia tua in Orientalem Ecclesiam promerita efficiunt, ut res tuas peculiari – quod, ceteroqui, non ignoras – cura et benevolentia sequamur. Est enim Nobis exploratum, quibus, venerabilis frater, eniteas ingenii animique laudibus, et quam studiosa voluntate catholica istic opera provexeris, novis praeterea templis exstructis et condita piarum Sororum Sodalitate, quae rectae iuventutis institutioni prospicerent; neque Nos latet, te, in postremi belli angustiis, inopiam indigentiamque tuorum et aere tuo et collecta undique stipe pro viribus allevasse. Sed non minus in laude tua ponimus, quod massonicam, ut aiunt, sectam, istuc etiam calamitose ingressam, omni contentione oppugnas cavendamque a tuis curas. Tibi igitur natalem patriarchatus quintum ac vicesimum, qui in diem sextum incidet futuri mensis ianuarii, vehementer gratulamur, atque a benignissimo Deo exposcimus ut vegetam senectutem tuam et quam longissime producat et caelestibus omne genus compleat solaciis. Quorum auspicem paternaeque caritatis Nostrae testem, tibi, venerabilis frater, universoque clero et populo tuo, apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis augusti, anno MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIONES ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia PP. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, has quae sequuntur Ecclesias de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

3 augusti 1923. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Victoriae seu Tamaulipanae praefecit R. D. Seraphinum Armora, parochum loci vulgo «S. Andrés Calchicomula», in archidioecesi Angelorum.

13 augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Chersonensi seu Kyrrhonensi, R. D. Raphaëlem Balanzà-Navarro, Canonicum ecclesiae Valentinae, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Henrici Card. Reig y Casanova, Archiepiscopi Toletani.

16 augusti. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Melitenensi, R. P. D. Augustinum Marre, Ord. Cist. Ref., hactenus Episcopum tit. Constantiensem.

23 augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Gerasenae, R. D. Andream Kriston, Canonicum ecclesiae metropolitanae Agriensis, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Ludovici Szmrecsányi, Archiepiscopi Agriensis.

5 septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Oropensi, R. D. Laurentium Del Ponte, Vicarium generalem dioecesis Aquensis, quem deputavit Auxiliarem R. P. D. Dismae Marchese. Episcopi Aquensis.

15 septembris. — Cathedrali Ecclesiae Veglensi, R. D. Iosephum Srebrnic. sacrae Theologiae professorem in Universitate Labacensi.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

ROMANA ET ALIARUM

REDEMPTIONIS CANONUM

Die 23 ianuarii 1923

QUAESTIO. – Circa redemptionem seu affrancationem canonum emphyteuticorum in favorem ecclesiae Codex iuris canonici, can. 1542, § 1, haec statuit: « In emphyteusi bonorum ecclesiasticorum emphyteuta ne« quit canonem redimere sine licentia legitimi Superioris ecclesiastici, « de quo in can. 1532; quod si redemerit, eam saltem pecuniae vim eccle« siae dare debet, quae canoni respondeat ». Haec dispositio, ob rationis identitatem, applicanda videtur etiam redemptioni censuum aliarumque praestationum favore ecclesiae nec non legatorum liberationi.

Verum quaestio exorta est, utrum nempe emphyteuta seu debitor in huiusmodi redemptione peragenda tradere teneatur pecuniam numeratam vel saltem titulos publicos iuxta eorum valorem realem seu currentem, an tradere possit titulos publicos iuxta valorem nominalem seu legalem, dummodo ipsorum annuus reditus respondeat summae canonis. Dubio occasionem dat imminutus valor titulorum publicorum, qui dum inscribuntur 100 libellarum, saepe emi possunt 70 et etiam minus. Lex enim civilis alicubi permittit ut debita pecuniaria solvantur moneta quae, cum dies advenit, legalem habet cursum, et plane secundum valorem nominalem. In pecunia quidem non corpora quis cogitat, sed quantitatem.

Hinc propositum est dubium: *An Episcopus vi canonis 1542, § 1 permittere possit redemptionem canonum titulis publicis iuxta horum valorem nominalem.*

ANIMADVERSIO. – In contractibus et in solutionibus, etiam in materia ecclesiastica, iuxta canonem 1529 Codicis iuris canonici, stari quidem potest iuri civili. Sed Episcopus nullatenus cogitur permittere talem redemptionem canonum. Canon enim 1542, verbo *saltem*, sinit ut plus quaeratur quam vis pecuniae quae canoni respondeat. Episcopus praeterea, quasi tutor personae minoris, cui, vi canonis 100, § 2, aequiparatur ecclesia, huius utilitati prospicere debet. At vero solutio secundum valorem nomina-

lem iuxta ea quae praemissa sunt, est certe cum ecclesiae detrimento coniuncta.

Notandum denique quod, iuxta praxim huius Sacrae Congregationis, emphyteutae, redimenti canonem, prius imponi solebat onus solvendi aliquam summam in compensationem deterioris reditus, qui canoni subrogatur: in praesens vero, attenta imminutione valoris titulorum publicorum, imponi iam solet onus tradendi, ex toto vel saltem ex parte, differentiam inter valorem nominalem et realem eorumdem titulorum.

Quare, etc.

RESOLUTIO. – Emi Patres Sacrae Congregationis Concilii, in plenario conventu diei 23 ianuarii 1923, ad propositum dubium respondendum censuerunt: *Negative, si valor nominalis sit superior valori reali.*

Quam resolutionem, referente postridie infrascripto S. C. Secretario, SSmus D. N. Pius Pp. XI approbare et confirmare dignatus est.

B. Colombo, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

12 iunii 1923. — ***Administrator Apostolicus dioecesis Mangalorensis***, R. D. Ioseph Pais, e clero indigena, parochus ecclesiae Immaculatae Conceptionis in oppido « Kinnigoli ».

— ***Vicarius Apostolicus Ce-li Maritimi***, R. P. D. Ioannes de Vienne, e Congreg. Missionis, Episcopus tit. Abritensis.

13 iunii. — ***Vicarius Apostolicus de Urubamba et Matre Dei***, R. P. Sabbas Sarasola, ex Ordine Praedicatorum sacerdos.

— ***Coadiutor cum iure futurae successionis Vicarii Apostolici Ce-li Septentrionalis seu Pekinensis***, R. P. D. Iosephus Fabrègues, e Congreg. Missionis, Episcopus titularis Alaliensis, hactenus Vicarius Apostolicus Ce-li centralis.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

ROMANA

CREDITI

Pio PP. XI feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno secundo, die 22 iunii 1923, RR. PP. DD. Franciscus Solieri, Ponens, *Iosephus Florczak et Ubaldus Mannucci*, Auditores de turno, *in Causa* Romana – Crediti, *inter Pontificium Collegium Germanicum Hungaricum, actorem, repraesentatum per legitimum procuratorem Christophorum Astorri, advocatum, et Pontificium Collegium Graecum, repraesentatum per legitimos procuratores Ioannem Guasco, Sacri Consistorii advocatum, et Franciscum Bersani, advocatum, sequentem tulerunt definitivam sententiam.*

Anno 1768, die 17 septembris, d.no Quassa Notario publico rogato, Rector Pontificii Collegii Graeci de Urbe, nomine eiusdem Collegii et vi binorum Rescriptorum de Beneplacito Apostolico, super quasdam domos ad Coll. Graecum pertinentes, et generaliter super omnia et singula bona eiusdem Collegii ubique posita et exsistentia, imposuit, constituit, creavit atque assignavit perpetuum, sed redimibilem censum seu reditum scutatorum 425, in sorte principali 17,000 ad 2 ½ pro 100, quem censum Coll. Graecum vendidit et alienavit favore Coll. Germanici et Hungarici de Urbe. Quem quidem annuum censum seu reditum scut. 425 Rector Coll. Graeci solvere promisit Romae praedicto Ven. Coll. Germanico et Hungarico Urbis, sive illius pro tempore exactori, « liberum, francum et exem-« ptum ab omni et quacumque impositione, taxa, gabella, tam imposita quam « imponenda, etiam ex dato et facto Supremi Principis, et absque ulla dimi-« nutione liberum, quia sic », etc. Hoc in instrumento cautum est tamen ut semper Pontif. Coll. Graeco licitum sit censum praedictum, non obstante lapsu centum et plurium annorum, redimere et recuperare pro eodem pretio scut. 17,000. Tandem Rector Coll. Graeci declarat « supradicta funda « censita libere spectasse et pertinuisse et spectare et pertinere ad Coll. Grae-« cum esseque libera, immunia et exempta ab omni et quocumque alio « censu, canone, livello, responsione, caducitate ... seu alio quocumque onere

« tam perpetuo quam temporaneo, nec alicui vendita, data, distracta aut alio « quovis modo alienata, alienationis vocabulo latissime sumpto, nec quid- « quam aliud fuisse factum in praeiudicium, etc. ». Ut patet, cum a Coll. Germanico summa determinata scut. 17,000 tradita sit, atque scutata 425, tamquam reditus illius summae, annuatim a Coll. Graeco solvenda sint, domus aliaque bona Coll. Graeci *tamquam pignus in maiorem crediti securitatem obligata sunt*. Et sane, cum istae domus venditae fuere, a Coll. Graeco concessa fuit Coll. Germanico *hypotheca pro summa* libellarum 91,375. Verum, ab anno 1870, rebus publicis mutatis, etiam Romae taxa, quae vulgo *ricchezza mobile* appellatur, illis omnibus imposita fuit qui reditus ex mutuis vel ex censibus, etc., perciperent. Quare taxa *ricchezza mobile* etiam Coll. Germanico propter reditus, quos ex censu nuper nominato percipiebat, imposita fuit. Attamen iuxta articulum 15 legis civilis diei 24 augusti 1877 statuentis: « Gli enti morali dichiareranno non solo i redditi propri ... ma eziandio le pensioni ... e pagheranno relativamente la imposta relativa a questi ultimi redditi propri rivalendosene sui loro assegnatarii o creditori mediante ritenuta », Fiscus taxam *ricchezza mobile* exigebat a Coll. Graeco, cui tamen ius erat refectionis a Coll. Germanico, quod directe taxa *ricchezza mobile* respiciebat: quod ius ad Coll. Graecum pertinens *diritto di rivalsa* appellatur.

Ex actis satis probatum videtur Coll. Graecum semper de taxa *ricchezza mobile* refectum fuisse: imo ab anno 1877 iure retentionis Coll. Graecum, ad normam citati articuli legis civilis, usum fuisse; sed hodie Coll. Germanicum contendit, vi clausulae in instrumento positae, iuxta quam dicitur censum solvendum esse « liberum, francum, exemptum ab « omni et quacumque impositione, taxa, gabella tam imposita quam im- « ponenda, etiam ex dato et facto Supremi Principis, et absque ulla di- « minutione liberum », etc., taxam *ricchezza mobile* a Coll. Graeco sine iure retentionis solvendam esse. Quod Coll. Graecum acriter negat. Cum de personis ecclesiasticis agatur, quae a iurisdictione Ordinarii exempta sunt, ac immediate Apostolicae Sedi subiiciuntur, ad hoc sacrum Tribunal S. R. Rotae partes litigantes recursum habuerunt, ut quaestio iudicialiter dirimeretur. Interea lis sub sequenti dubio contestata est: « An Pontificium « Collegium Graecum teneatur refundere Pontificio Collegio Germanico- « Hungarico taxam vulgo *ricchezza mobile* ab hoc Fisco solutam et sol- « vendam super censum in sorte scut. 17,000, de quo in instrumento « 16 septembris 1768, rog. Quassa, et quoad praeteritum a qua die ».

In Iure. – Census est « ius percipiendi pensionem annuam ex re « alterius utili et fructifera super qua fundatur ». Ita passim Doctores

inter quos Ferraris, *Bibliotheca*, verbo *census* n. 2. – *Realis* auditur census qui constituitur seu fundatur supra re aliqua fructifera, qua pereunte census perit. E contrario census est *personalis*, qui fundatur supra certa persona se obligante ad annuam pensionem ex industria, arte, opificio vel labore suo solvendam. Tandem census est *mixtus*, qui immediate super re et persona fundatur, ita ut si res pereat, maneat obligata persona ad censum solvendum. Unde census non differt a mera pensione nisi quia pensio, quae vi census solvitur, habet fundamentum vel unice in rebus supra quas imponitur, si census est realis, vel in obligatione qua persona devincitur ad pensionem annuam solvendam, si census est personalis, vel tandem utrumque fundamentum habet si census mixtus sit dicendus. Verum aliquando census non constituitur in quota parte fructuum fundi, etc., sed in determinata summa pecuniae, in cuius solutionis annuae securitate fundus vel fundi censui obligantur, quo in casu potius diceretur redituum constitutio.

Taxa quae vulgo dicitur *ricchezza mobile* omnes reditus percellit sive ex censu proveniant sive ex mera pensione, super bonis ecclesiasticis Principis auctoritate imposita, iuxta articulum primum legis italicae diei 28 augusti 1877, ubi dicitur: « È stabilita una imposta sui redditi della ricchezza mobile ... ». Quare huiusmodi taxa est *realis*, quia non tangit directe personam, sed bona seu reditus, et quidem reditus mobiliares *in manibus creditoris* (Pichler, *Ius Canonicum*, lib. III, tit. 12, n. 1; Reiffenstuel, lib. III, tit. 12, § 1, n. 4; Aichner, *Ius Ecclesiasticum*, § 79, n. 4; Santi, *Praelectiones*, lib. III, tit. 12: cfr. Nitti, *Principii di scienza delle finanze*, cap. VII, p. 326; Einaudi, *Lezioni di scienza delle finanze e di diritto finanziario*).

Ex his consequitur, nisi manifeste inter partes contrarium pactum sit, onus solvendi taxam *ricchezza mobile* ad creditorem pertinere. Quod enim Fiscus illam a debitore exigat, nihil officit, cum lex civilis ius retentionis seu *di rivalsa* contra creditorem huic concedat. Qua in re debitor, qui taxae solutionem Fisco praebet, veluti negotiorum gestor creditoris agit, contra quem actionem utilem vel negotiorum gestorum vel contrariam mandati habet, ut indemnis reddatur. Et quidem debitor figuram negotii gestoris vi ipsius legis civilis gerit, quasi mandatarius ipsius creditoris erga Fiscum, cuique debitori competit, ut diximus, vel actio contraria mandati vel actio in factum ut dicitur (Bonfante, *Istituz. di diritto romano*, § 170). Quibus positis, evidens est quod, nisi contrarium vel inter partes in censu constituendo manifeste statutum sit, vel Princeps in constituendis pensionibus in bonis beneficii contrarium expresse et clare statuerit, taxa *ricchezza mobile* a creditore, ad quem reditus vel ex censu vel ex pen-

sione annuatim proveniunt, solvenda est. Methodus enim qua Fiscus exigit taxam vel modo retentionis vel elencho nominativo vel mediante *rivalsa* ex parte debitoris census vel pensionis, naturam taxae *ricchezza mobile* non immutat, quae respicit directe creditorem, in cuius manibus reditus mobiliares taxantur.

Verum, etiamsi onus solvendi taxam *ricchezza mobile* ad creditorem census vel pensionis pertineat, adeo ut debitor, si solverit, ad normam legis ius habeat *retentionis* vel ut dicitur *di rivalsa*, tamen vi clausularum quae in instrumento constitutionis census appositae sunt, aliquando hoc onus non ad creditorem, sed ad debitorem pertinere potest. Interest proinde animadvertere quaenam sit vis iuridica clausularum, quae in constituendis censibus vel pensionibus apponi solent.

Clausulae praecipuae, quae censibus vel pensionibus apponi solent, sunt: *a*) « debitor debeat solvere censum liberum, francum a quacumque « impositione, taxa, gabella, tam posita quam imponenda, etiam ex dato « et facto Supremi Principis, et absque ulla diminutione liberum », etc.; – vel *b*) « quod pensio sit singulis annis persolvenda ... ab omnibus et « quibuscumque oneribus liberam, immunem et exemptam »; – vel *c*) « quod « pensio solvenda sit ab omni onere reali et personali, tam imposito quam « imponendo, libera seu absque diminutione solvenda »; vel *d*) « quod debitor « teneatur ad integram solutionem pensionis, quae imminui numquam pos- « sit »; et aliae huiuscemodi.

Iam clm̃us De Luca, in tractatu *De pensionibus*, part. II, disc. 33, n. 14, de vi dictarum clausularum agens, ait: « Et quamvis in contrarium « diceretur, quod in litteris reservationis expresse dispositum esset iuxta « communem, ut pensionarius sibi reservatam habere debeat pensionem « francam et exemptam ab omni onere et contributione ex quavis causa, « quantumvis speciali ac privilegiata, idque satis nimium impulisse iudi- « cem, attamen pro meo sensu id continere videbatur aequivocum clarum, « quoniam haec exceptio recte procedit quoad onera *ordinaria* vel *extraor-* « *dinaria* decimarum et collectarum aliarumque contributionum, sive etiam « quoad realia pro expensis culturae ... *non autem circa illas expensas,* « *quas erogare oportet in eam causam ob quam ipsa substantia pensionis* « *sustineatur, cum intret actio vel exceptio de in rem verso seu negotiorum* « *gestorum* », etc. Ex quibus deducitur iuxta clm̃um De Luca clausulas praedictas, quae inter se sunt omnino aequivalentes, quaeque iuxta communem stylum apponi solent in Bullis reservationis pensionum vel etiam in pensione ex censu constituenda, utpote *communes de stylo Curiae vel notariorum*, vim non habere nisi liberandi pensionarium seu in genere creditorem a contributionibus et oneribus ordinariis, vel etiam extraor-

dinariis, si declaretur pensionem liberam et francam a quocumque onere et contributione, ex quavis causa, quamtumvis speciali et privilegiata; non vero ab illis oneribus extraordinariis quae beneficiarius vel in genere debitor tamquam negotiorum gestor ipsius creditoris sustinere cogitur. Nam apponuntur illae clausulae ut earum ope creditor seu pensionarius ab oneribus quae reditibus beneficii imponuntur, liberetur, adeo ut si clausulae appositae non fuissent, aliquando onera imposita vel imponenda etiam creditorem tangerent. Hoc vero concipi non potest, cum de onere agatur quod directe pensionarium vel creditorem respicit, quodque solvitur a debitore seu beneficiario – vi legis vel sponte nihil refert, – solum tamquam negotiorum gestore eiusdem pensionarii. Non modo iure introducto per decretum *Cum nuperrimis*, sed etiam iure communi antiquo statutum erat ut aliquando pensionarius concurreret cum beneficiario seu onerato in sustinendis contributionibus seu oneribus beneficii (De Luca, *De pensionibus*, disc. 25, n. 2; Ferraris, *Bibliotheca*, verbo *Pensio*, n. 132; in *Decretalibus*, cap. *Propter sterilitatem*, 3, *de locato et conducto;* ff. 1. *ex conducto*, 15, § 2; S. C. EE. et RR., *Aesina*, *Pensionis*, iunii 1878). In his casibus praedictae clausulae utiles sunt, sed *nisi specialis pactio intervenerit*, illae clausulae pensionarium seu creditorem non liberant a sustinendis oneribus quae illum directe tangunt, et quae debitor tamquam eius negotiorum gestor sustinuit.

Iam, taxa *ricchezza mobile* est onus quod non afficit ullo modo neque bona beneficii supra quae pensio constituta est, neque bona supra quae census impositus est, sed percellit reditus ex bonis censualibus vel beneficii *in manibus ipsius creditoris*. Quamobrem debitor censuarius integram pensionem liberam et francam ab omni onere imposito vel imponendo solvit; et quia Fiscus taxam quae hunc reditum afficit, exigit a debitore, cui tamen ius concedit refectionis vulgo *di rivalsa*, debitor dum taxam solvit, creditoris negotium gerit. Eo modo quo illa clausula in specie, de qua agit De Luca, non liberat pensionarium a solvenda portione expensarum quas oneratus sustinuit in defendenda causa, « ob quam ipsa substantia pensionis sustineatur, cum tunc intrent actio vel exceptio de re in rem verso seu negotiorum gestorum », ita illa clausula vel alia similis et aequivalens non liberat creditorem, qui pensionem ex censu percipit, a solvenda taxa *ricchezza mobile*, vel ad indemnem reddendum oneratum debitorem, qui nomine creditoris eiusque negotium gerens ex legis dispositione illam taxam solvit.

Addatur illa clausularum verba: « liberum, francum et exemptum ab « omni et quacumque impositione, taxa, gabella, tam imposita quam « imponenda, etiam ex dato et facto Supremi Principis, et absque ulla

« diminutione liberum », minime comprehendere nec comprehendere in casu posse taxam vulgo *ricchezza mobile*; quia huiusmodi tributum, impositum a civili auctoritate super bonis ecclesiasticis, prorsus alienum est a lege canonica immunitatem statuente; et ideo exorbitat manifeste ab illa quoque extensione quam, ut maximam, enunciant verba: « etiam ex dato et « facto Supremi Principis », idest Romani Pontificis. Hac ipsa de causa dici potest, quod tale tributum praevideri non poterat a. 1768, non solum ob distantiam temporis quae seculum exsuperat (1768 – 1872), sed etiam ob repugnantiam iuris: et ideo illud locum habet: « Voluntas non fertur ad « incognita ». Quod magis firmatur si consideretur taxam *ricchezza mobile*, quatenus facto Principis laici respicit et cadit in reditus ecclesiasticos, semper ab Ecclesia fuisse reprobatam. Incongruum proinde est cogitare, anno 1768 contrahentes praevidisse taxam ab Ecclesia nunquam admissam et ab auctoritate civili sine consensu Ecclesiae impositam.

Nec iuvat decisiones tribunalium sive civilium sive ecclesiasticorum adducere: nam fatendum est, incertam hac in re esse iurisprudentiam tum civilem tum ecclesiasticam. Attamen graves decisiones auctoritatis ecclesiasticae adsunt, quibus decernitur, non obstantibus illis clausulis, onus solvendi taxam *ricchezza mobile* ad creditorem pertinere. Ut unum vel alterum exemplum adducamus, Bulla Pontificia diei 4 augusti 1854 super mensam episcopalem Aesinam pensio imposita est his clausulis: « ab omnibus quibuscumque oneribus liberam, immunem et exemptam ... « decernentes ... quavis causa vel titulo aut pretextu vel ad cuiusvis in- « stantiam imminui numquam posse, ac irritum quoque et inane si secus « super hoc a quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit atten- « tari ». Hac clausula non obstante, S. C. EE. et RR. die 7 iunii 1878 respondit: « Taxam *ricchezza mobile* a pensionario esse solvendam, etiam « pro omnibus ratis insolutis », nempe ab anno 1867, ante nempe decretum *Cum nuperrimis*. Etiam S. C. Concilii in quadam *Aversana* – Reductionis pensionis – die 27 febr. 1904 decrevit: « Taxam *ricchezza mobile* a solo « pensionario seu creditore fuisse solvendam, etiam si reditus parochiales, « super quibus pensio favore Seminarii statuta erat, aucti essent: haec « enim taxa respicit reditus percipientem (cfr. *Thesaur. S. C. Conc.*, 1904, « 27 febr., p. 216). Ad rem E.mus Card. Gennari scite animadvertebat »: « Nel nostro caso è stato deciso che la tassa di ricchezza mobile si pagasse non dal parroco, ma dal Seminario che è il pensionario. Imperocchè quantunque a stretto diritto la pensione debbasi pagare franca e libera da ogni peso; pure fa d'uopo riflettere che la tassa di ricchezza mobile nel caso non colpisce il parroco ma il Seminario ... il parroco dà al Seminario per quanto è da sè franca e libera la pensione ... chi restituisce franca e libera una

somma dovuta al suo debitore, non è giusto che risponda del danno che reca al creditore un prepotente che ne rapisce una parte » (*Monitore Eccles.*, vol. 16, pag. 102).

Item nec iuvat decisiones tribunalium civilium adducere. Nam: *a*) hae decisiones discordes sunt; vel *b*) de casu agitur in quo pactum expressum contrarium inter debitorem et creditorem initum fuerat, i. e. solvendi *praeter* pensionem quidquid titulo taxae exigatur; *c*) decisiones huiusmodi in materia ecclesiastica de personis et bonis ecclesiasticis incompetentes sunt. Ceterum, cum neque ex parte iurisprudentiae ecclesiasticae uniformitas absoluta habeatur, concludendum est, ex hoc fonte saltem dubium esse an illa clausula debitor se obligaverit implicite ad solvendam pro creditore taxam *ricchezza mobile*. Sed obligatio dubia est obligatio nulla. Clausulae enim quae obligationes important strictae sunt interpretationis. Quare in dubio retinendum est, debitorem, non obstantibus allatis clausulis, ad taxam *ricchezza mobile* solvendam non teneri. Ceterum, quidquid sit de vi harum clausularum, et posito etiam debitorem vi appositae clausulae teneri ad taxam solvendam *ricchezza mobile*, nec ei ius competere retentionis seu refectionis in genere; tamen neminem fugit debitorem alio iuridico titulo ab onere solvendi taxam se liberare potuisse, v. g. ope praescriptionis, etc.

In Facto. — In instrumento anni 1768, die 17 sept., rog. Quassa notario publico, quo census inter Coll. Graecum et Coll. Germanicum, haec clausula posita est: ut nempe Coll. Graecum debeat quotannis Coll. Germanico solvere censum « liberum, francum et exemptum ab omni et qua- « cumque impositione, taxa, gabella, tam imposita quam imponenda, etiam « ex dato et facto Supremi Principis, et absque ulla diminutione liberum ». Cum haec sit clausula *generalis*, quae tum in constituendis pensionibus ab auctoritate ecclesiastica tum, in constituendis censibus, conventione inter partes inita, adhiberi solet, eius vis iuxta supradicta talis non est, ut dicatur debitorem pensionis vel summae censualis 425 scut. annuorum voluisse sibi assumere anno 1768 obligationem solvendi taxam *ricchezza mobile*, quae ab anno 1864 in Italia et Romae 1875 solummodo super reditus mobiliares in manibus creditoris imposita fuit. Haec clausula enim, ut docet cl.mus De Luca, liberat creditorem ab onere solvendi contributiones et onera ordinaria. non vero extraordinaria, et multo minus quae directe creditorem respiciunt, et a debitore tamquam negotiorum gestore, dispositione legis, solvuntur. Addatur quod in censu constituto, clausula imposita, praevisae non sunt nisi contributiones ordinariae: non adsunt enim in praedicta clausula verba quae invocant exemptionem « a quo-

« cumque onere vel impositione, ex quavis causa, quantumvis speciali et « privilegiata », quae respicere potuisset contributiones *extraordinarias*. Est enim clausula quae apponi solet de stylo communi, et est generalis, ordinaria, nec potest comprehendere contributionem extraordinariam, qualis est taxa *ricchezza mobile*, de qua sicuti neque legislator ecclesiasticus anno 1768, ita neque fideles contrahentes de censu imponendo, suspicari poterant. Quare ne ea repetamus quae in iure dicta sunt, non obstante apposita clausula videtur quod Coll. Germanicum taxam *ricchezza mobile* solvere teneatur, et quia Fiscus illam exigit a Coll. Graeco, cui ius *di rivalsa* concedit, Coll. Germanicum ob negotium a Coll. Graeco gestum indemne hoc de taxa soluta reddere tenetur.

Verum, dato etiam et non concesso, quod vi clausularum appositarum Coll. Graecum taxam *ricchezza mobile* solvere debeat, neque ius retentionis ei competat, tamen, iis quae sunt in facto diligenter perspectis, videtur Coll. Graecum optime *praescriptionem liberativam* invocare posse. Est enim praescriptio: « Acquisitio dominii per continuatam possessionem, modo et tempore lege statuto » (Modestinus, l. 3, ff. *de usurp.*, 41, 3). In facto siquidem est hucusque quidquid a Coll. Graeco solutum est pro *ricchezza mobile* (1872–1918) gravasse Coll. Germanicum, et quidem non coeca quadam oblivione vel acquiescentia, sed causa cognita (etsi non iudicii tramite) anno 1883. Facti nempe interpretatio data clausulae, de qua agitur, ab anno 1883, ea est contra quam praesens anno 1922 instituta est. Quamvis id denegare videatur patronus Coll. Germanici actoris, attamen id adeo certum est ut ipse non ambigat petere: « Chiede che venga « dichiarato che quanto al passato il Collegio Greco deve rimborsare nei « limiti del trentennio al Collegio Germanico l'ammontare della tassa di ric- « chezza mobile che ha indebitamente trattenuto ». Et quidem patronus ultra tricennium petere non poterat, quia spatio triginta annorum actio perimitur, sed in facto est Coll. Graecum indemnitatem a Coll. Germanico obtinuisse ab anno 1872.

Ceterum ad praescribendum, ut notum est, praeter subiectum et obiectum capax, requiritur possessio iusta, pacifica, non interrupta, bona fides, titulus iustus, tempus lege constitutum.

Nullum dubium est, in casu, an subiectum et obiectum capacia fuerint praescriptione, sed insuper possessio, qua Coll. Graecum petiit et semper obtinuit a Coll. Germanico ab anno 1872 indemnitatem pro taxa *ricchezza mobile*, iusta in sensu iuris appellari potest et debet. Ille enim dicitur iuste possidere qui possidet *nec vi nec clam nec precario*; et talis possessio Coll. Graeci dicenda est. Etiam si aliquando Coll. Germanicum dubium expresserit, an vi appositae clausulae indemne esset Coll. Grae-

cum reddendum pro soluta taxa *ricchezza mobile*, tamen, ut diximus, Coll. Germanicum facile convenit indemnitatem esse praestandam, et de facto praestitit. Nec opponi potest has discussiones inter exactores utriusque Collegii locum habuisse. Nam si hae discussiones fiebant nomine et mandato Rectorum Collegiorum, sequeretur Rectores consensisse in indemnitatem Coll. Graeco reddendam; si vero discussiones inter exactores, ignorantibus Rectoribus, locum habuerunt, quia indemnitates solutas Rectores adprobaverunt, sequeretur neque Rectorem Coll. Germanici unquam de indemnitate non reddenda dubitasse. In utraque hypothesi possessio Coll. Graeci apparet detenta neque vi neque clam neque precario, ideoque *iusta possessio* dicenda est.

Insuper possessio Coll. Graeci *pacifica* fuit, *continuata* et *non legaliter interrupta*. Nam illae dissensiones legaliter non interruperunt possessionem, quia ad forum nunquam deductae fuerunt. Ut enim notum est, iure ad civilem interruptionem praescriptionis requiritur citatio ac litis contestatio (lege II et ultima Codicis, *De annuali except.*; Santi, *Praelect. iur. canon*, lib. II, tit. 26, n. 35, 36).

Neque dubitari potest *de bona fide* Coll. Graeci. Nam bona fides in iure in hoc consistit, quod quis rationabiliter putet se sua possessione nemini iniuriam facere nullumque detrimentum iuri proprietatis afferre. Collegium autem Graecum dum petiit et obtinuit a Coll. Germanico indemnitatem pro taxa *ricchezza mobile* soluta, bona fide agebat: *a*) quia cum Coll. Germanicum re discussa sponte solvisset indemnitatem, Coll. Graecum putabat rationabiliter se sua possessione Coll. Germanico (ex hypothesi, domino) iniuriam non facere, quod ad bonam fidem constabiliendam sufficere in iure notum est; *b*) quia si neque citatio, neque utis contestatio sufficiunt ut possessor bonae fidei fiat possessor malae fidei, multo minus id efficere potuerunt discussiones extra iudiciales, quae ceterum favore Coll. Graeci conclusionem habuerunt; *c*) imo, ab initio, postquam re discussa Coll. Germanicum in concedenda indemnitate consensit, dubium de bono iure Coll. Graeci exigendi illam indemnitatem esse non poterat. Quod autem in decursu possessionis dubium oriri potuerit, bonae fidei non officit. Unde Glossa in fine capitis ultimi, hoc titulo *de praescriptionibus*, ait: « Qui dubitat an res sua sit, et habet « iustam causam dubitationis, adhuc dicitur bonae fidei possessor et « utitur fructibus » (lib. 5, *quis scit*, ff., *de usuris*, § *bonae*), et in hoc casu praescribit (Santi, *Praelect. iur. canon.*, lib. II, tit. 26, n. 12). De cetero, bona fides semper praesumitur usque dum contrarium probetur (De Luca, *De dote*, disc. 115; n. 16; disc. 161, n. 51; Reiffenstuel, lib. II, tit. 26).

Similiter in casu favore Coll. Graeci *titulus iustus* non deest. Titulus iustus est causa, natura sua habilis ad transferendum dominium (cap. 17. in *Decret.* hoc titulo; et cap. 31, *de decimis*, lib. III. tit. 30; et cap. 1, in VI, hoc titulo; lib. 46, ff., hoc titulo; l. 7, § 5, ff. *pro tempore*, 41–4; l. 4, ff. *pro herede*, 41–5; l. 1, § 1, lib. 2, ff. *pro don.*, 41–6). Iam titulus quo Coll. Graecum petiit et obtinuit indemnitatem pro soluta taxa *ricchezza mobile* a Coll. Germanico fuit lex civilis Italica, quae dum taxam *ricchezza mobile* a Coll. Graeco exigebat, ei tamen ius retentionis seu *di rivalsa* contra Coll. Germanicum concedebat. Titulus absque dubio iustus est: nisi enim dictae clausulae in instrumento constitutionis census appositae fuissent, Coll. Germanicum *sponte* recognovisset quod Coll. Graecum titulo legis civilis ius habuisset ad indemnitatem exigendam propter taxam *ricchezza mobile*, quam Coll. Graecum, tamquam ex lege negotiorum gestor, pro Coll. Germanico solvisset.

Tandem *ad tempus quod attinet*, absque dubio hic agitur de re immobili praescribenda. Nam, ut ait Ferraris (*Bibl.* verb. *Praescriptio*), cum agatur de iuribus et actionibus praescribendis, si iura et actiones sint ad res mobiles, sub nomine rerum mobilium veniunt; si vero ad res immobiles, sub nomine rerum immobilium computantur: accessorium enim naturam sequitur principalis (42, *de reg. iur.*, in VI). In casu agitur de iure quod se refert ad reditus ex censu qui inter res immobiles adnumeratur (Ferraris, *op. cit.* loc. cit.). Etiam si extra dubium sit, in casu, praescriptionis qualitates requiri iuxta antiquam canonicam legislationem, tamen ad terminos praescriptionis quod spectat, cum nihil in re novus Codex iuris canonici habeat, qui nullam *dispositionem transitoriam* sancivit, regulam ex Codice civili italico desumendam in casu putamus. Sane in can. 1508 Codicis iuris canonici dicitur: « Praescriptionem tam acquirendi et se « liberandi modum prout est in legislatione civili respectivae Nationis, « Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui « sequuntur ». Iam in dispositionibus transitoriis Codicis italici n. 47, dicitur: « Le prescrizioni cominciate prima dell'attuazione del nuovo Codice « sono regolate dalle leggi anteriori. Nondimeno le prescrizioni incomin- « ciate prima della detta attuazione e per le quali secondo le leggi ante- « riori si richiederebbe ancora un tempo maggiore di quello fissato dal « nuovo Codice, si compiono col decorso del tempo fissato in esso, com- « putabile dal giorno dell'attuazione del medesimo ». Iamvero, in can. 1511 Codicis iuris canonici statuitur: « Res immobiles, mobiles pretiosae, iura, « actiones, sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio 100 annorum praescribuntur. Quae vero ad aliam perso- « nam moralem ecclesiasticam, spatio 30 annorum ». Igitur praescriptio

rerum immobilium ecclesiasticarum Codice canonico praescribuntur spatio 30 annorum, dum antiquo iure spatium 40 annorum requirebatur. Et cum nihil statutum sit quoad dispositiones transitorias, iuxta canonem citatum 1508 dispositiones transitoriae Codicis civilis Italici in casu accipiuntur, hoc est, casui applicatur terminus novus triginta annorum. Iam extra controversiam est inter partes, Coll. Graecum esse in possessione iuris recipiendi indemnitatem a Coll. Germanico *ab anno saltem 1883*, quo Coll. Germanicum indemne reddidit Coll. Graecum pro *ricchezza mobile* quam Coll. Graecum pro Coll. Germanico ab anno 1872 solvit. Quae possessio solum *citatione* Coll. Germanici contra Coll. Graecum anno 1922, die 18 novembris, interrupta est (lib. 2, et ultima Codicis, *de annali exceptione;* cfr. Cod. civ. ital., art. 2125). Qua de re tempus sufficiens elapsum est, ut Coll. Graecum praescriptionem complere potuerit. Nec Coll. Germanico prodest affirmare, se pluries his solutionibus indemnitatis opposuisse. Notum est enim, ut supra animadvertimus, tantummodo citatione vel oblatione libelli vel in genere actibus iudicialibus, de quibus in citato articulo Codicis italici sermo est, quodque etiam iure canonico semper receptum fuit, possessionem civiliter interrumpi (cfr. Ricci, *Corso teorico-pratico di diritto civile*, vol. 5, cap. I, n. 54 et seq.; Santi, *Praelect.*, lib. II, tit. 26, et passim omnes Doctores). Neque in casu interruptio naturalis praescriptionis unquam locum habuit, ut constat ex actis in facto.

Verum, *dato etiam et non concesso*, quod ad praescribendum in casu terminus vetus, i. e. spatium 40 annorum requireretur, hoc tempus possessionis in Coll. Graeco verificatur. Etenim, in casu agitur de *quasi possessione* iuris obtinendi a Coll. Germanico indemnitatem pro taxa *ricchezza mobile* quam Coll. Graecum pro Coll. Germanico ab anno 1872 usque ad annum 1922, quo civilis interruptio, ut diximus, accidit, solvit. Etiamsi prima indemnitas, una cum transactis solutionibus, ab anno 1883 initium habuerit, tamen Coll. Graecum in *quasi possessione* iuris has indemnitates exigendi ab anno 1872 fuisse, tenendum est. Enimvero, ut Coll. Graecum dicatur fuisse in quasi possessione iuris exigendi indemnitatem pro ratis solutis taxae *ricchezza mobile*, necessarium non est ut Coll. Graecum realiter tali iure ab anno 1872 usum sit, sed sufficit ut Coll. Graecum ab anno 1872 tutam et immediatam possibilitatem haberet utendi iure exigendi indemnitatem a Coll. Germanico. Ut enim quis rem aliquam vel ius aliquod possideat, iuxta acceptatam ab omnibus notionem possessionis, non requiritur ut quis semper actu rem detineat corporaliter vel ius semper actu exerceat, sed sufficit ut, dum relatio corporalis vel facti inter possessorem et rem vel ius possessum intercedit, pos-

sessor habeat tutam rei corporalis vel iuris exercendi possibilitatem (Cod. civ. ital., art. 685; Cod. germ., art. 854; Cod. gall., art. 2228; Cod. austr., § 309; Ruggeri, *Il possesso e gl'istituti di diritto prossimi ad esso*). Iamvero, Coll. Graecum hanc possibilitatem tutam et immediatam utendi iure exigendi indemnitatem a Coll. Germanico ab anno 1872, saltem de facto habebat, quia lex civilis hoc ius *di rivalsa* ab anno 1872 ei tribuit. Unde etiam si eius actio efficaciter opposita exceptione pacti conventi a Coll. Germanico repelli potuisset, tamen lex civilis, quae ius obtinendi indemnitatem a Coll. Germanico dedit Coll. Graeco, saltem Coll. Graecum posuit in *quasi possessione* iuris illam indemnitatem exigendi. Profecto, si Coll. Germanicum contra Coll. Graecum restitisset, et vi pacti conventi petitam indemnitatem negasset, Coll. Graecum quasi possessionem iuris exigendi indemnitatem amisisset, quia tuta disponibilitas iuris ei defecisset. E contrario, quando Coll. Graecum anno 1883 ius, ei lege civili concessum, exercuit ac indemnitates etiam transactas ab anno 1872 petiit, Coll. Germanicum nullo iudiciali actu restitit et post brevem discussionem extraiudicialem, libere quod ab eo petitum est solvit: hinc Coll. Graecum in adepta possessione ab anno 1872 mansit. Ut patet, hic non agitur de possessione perceptae indemnitatis, sed de *quasi possessione* iuris exigendi indemnitatem, quae quasi possessio opera ipsius legis civilis ab anno 1872 initium habuit. Iam ab anno 1872, spatium 50 annorum lapsum est: ergo tempus praescriptionis satis superque etiam *iuxta antiquam legislationem canonicam* completum est.

Qua in re animadvertere opportunum erit quod, posita bona fide et possessione quadragenaria, etiam absque titulo praescriptio contra bona immobilia ecclesiastica ante Codicem obtinebat, ut docent Doctores, inter quos Pirhing, hoc titulo, n. 95., Barbosa, Santi, et passim omnes Doctores.

Quibus omnibus tum in iure cum in facto perpensis, Christi nomine invocato, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et Deum solum prae oculis habentes, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus, proposito dubio: « An Pontificium Collegium Graecum te- « neatur refundere Pontificio Collegio Germanico-Hungarico taxam vulgo « *ricchezza mobile* ab hoc Fisco solutam et solvendam super censum in « sorte scut. 17,000, de quo in instrumento 16 septembris 1768 rog. Quassa, « et quoad praeteritum a qua die » respondentes: *Negative*. In expensas omnes iudiciales Pontificium Collegium Germanicum condemnamus.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam

sententiam ad tramitem tituli XVII, lib. IV, Codicis iuris canonici, et adversus reluctantes procedant iuxta normam ss. canonum et praesertim cap. 3, sess. 25, Concilii Tridentini, *De Reformatione*, et canonis 1924 Cod. iur. can., iis adhibitis exsecutivis ac coërcitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis exstitura sint.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, 22 iunii 1923.

Franciscus Solieri, *Ponens.*
Iosephus Florczak.
Ubaldus Mannucci.

L. ✠ S.

Ex Cancellaria, 20 iulii 1923

T. Tani *Notarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

S. CONGREGAZIONE DEL CONCILIO

AVVISO

Si rende noto che le iscrizioni degli ecclesiastici per la pratica di diritto presso lo *Studio* della Sacra Congregazione del Concilio si chiuderanno il giorno 31 del corrente ottobre, e che il giorno 5 del prossimo novembre se ne inizierà il corso.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

18 agosto 1923. L'Emo Sig. Cardinale Camillo Laurenti, *Membro della Commissione per la interpretazione del Codice di diritto canonico.*

23 » » L'Emo Sig. Cardinale Gaetano Bisleti, *Protettore dell'Istituto delle Figlie di S. Giuseppe, di Rivalta Torinese.*

21 settembre » Monsig. Angelo Rotta, Arciv. tit. di Tebe, Internunzio apostolico nell'America Centrale, *Internunzio apostolico presso la Repubblica di Panama.*

23 » » L'Emo Sig. Cardinale Oreste Giorgi, *Protettore dell'Istituto delle Serve di Gesù, di Varsavia.*

» » » Monsig. Pietro Benedetti, Arciv. tit. di Tiro, Delegato apostolico a Cuba e Portorico, *Reggente la Internunziatura apostolica di Haiti.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Assistente al Soglio Pontificio:

3 agosto 1923. Monsig. Antonio Coudert, arcivescovo di Colombo.

29 » » Monsig. Federico Polloni, vescovo di Bertinoro.

7 settembre » Monsig. Gennaro Trama, vescovo di Lecce.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

17 luglio 1923. Monsig. Giovanni Battista Le Camus, della diocesi di Martinica.

20 » » Monsig. Costantino Tormo Casanova, dell'archidiocesi di Valenza.

27 luglio 1923. Monsig. Dionigi Mosonyi, della diocesi di Cinque Chiese.
31 » » Monsig. Agostino Massart, dell'archidiocesi di Cambrai.
» » » Monsig. Giovanni Battista Carlier, della medesima archidiocesi.
10 agosto » Monsig. Francesco Rosso, dell'archidiocesi di Vercelli.
13 » » Monsig. Nicolangelo De Agostini, dell'archid. di Benevento.
» » » Monsig. Luciano Rivas Santiago, dell'archidioc. di Siviglia.
17 settembre » Monsig. Francesco Lorenzo French, della diocesi di Pembroke.

Prelati domestici di Sua Santità:

1 maggio 1923. Monsig. Tommaso O' Donnel, dell'archidiocesi di Toronto.
22 luglio » Monsig. Valerio Valeri, della diocesi di Città della Pieve.
» » » Monsig. Augusto Pelzer (Roma).
» » » Monsig. Enrico Carusi (Roma).
23 » » Monsig. Carmine de Palma, dell'archidiocesi di Bari.
25 » » Monsig. Stefano Foester, della diocesi di Hamilton.
3 agosto » Monsig. Prosdocimo Cerato, della diocesi di Padova.
» » » Monsig. Giovanni Galvan, della medesima diocesi.
4 » » Monsig. Pietro Giorgio Marion, del Vicariato Apostolico della Carolina Settentrionale.
» » » Monsig. Cristoforo Dennen, del medesimo Vicariato.
7 » » Monsig. Enrico Merizzi, della diocesi di Borgo San Sepolcro.
8 » » Monsig. Massimiliano Caron, della diocesi di Versailles.
11 » » Monsig. Giovanni Tommaso Mc Elroy, della diocesi di Charleston.
13 » » Monsig. Antonio Teutonico, dell'archidiocesi di Benevento.
16 » » Monsig. Muzio Mazzella, della medesima archidiocesi.
20 » » Monsig. Raffaele Lovera, della archidiocesi di Caracas.
21 » » Monsig. Michele Landa, dell'archidiocesi di Benevento.
23 » » Monsig. Francesco Segesser, della diocesi di Basilea.
25 » » Monsig. Carmelo Scarpa, della diocesi di Capaccio Vallo.
29 » » Monsig. Clemente Treiber, della diocesi di Cleveland.
» » » Monsig. Gilberto Jenning, della medesima diocesi.
8 settembre » Monsig. Piersante Borghesi, della diocesi di Bertinoro.
12 » » Monsig. Donaldo Ranaldo Mac Donald, della diocesi di Alexandria sull'Ontario.
15 » » Monsig. Fiorenzo Canuti, della diocesi di Città della Pieve.
» » » Monsig. Silvino Tomba, della diocesi di Verona.
17 » » Monsig. Zefirino Lorrain, della diocesi di Pembroke.
» » » Monsig. Bernardo Giuseppe Kiernan, della medes. diocesi.
» » » Monsig. Bronislao Jankowski, della medesima diocesi.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

1 settembre 1923. Al sig. conte Agostino Ravano, dell'archidiocesi di Genova.

La Commenda con placca dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

31 luglio 1923. Al sig. Emilio Beco, dell'archidiocesi di Malines.

La Commenda dell'Ordine di San Gregorio Magno, classe civile:

24 giugno 1923. Al sig. Luigi de' baroni Genova, dell'archidiocesi di Chieti.
13 luglio » Al sig. Guglielmo D'Aranjo (Portogallo).
17 » » Al sig. Fernando Botet de Lacaze, della diocesi di Agen.
25 » » Al sig. avv. Paolo Nourisson, dell'archidiocesi di Parigi.
4 agosto » Al sig. avv. Luigi Toeschi (Roma).
11 » » Al sig. avv. Ashkar Bounet, Bey, residente in Alessandria d'Egitto.
20 » » Al sig. prof. Ignazio Spiridon, della diocesi di Nizza.
22 » » Al sig. Tommaso K. Maher, della diocesi di Cleveland.
» » » Al sig. Cesare Grasselli, della medesima diocesi.
1 settembre » Al sig. conte Enrico Matteo Passi, della diocesi di Treviso.
6 » » Al sig. Armando de Behault de Dornon, dell'archidiocesi di Malines.
12 » » Al sig. cav. Edoardo Boutry, della diocesi di Lilla.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

7 aprile 1923. Al sig. Antonio Lang, dell'archidiocesi di Monaco e Frisinga.
» » » Al sig. Giovanni Rauch, della medesima archidiocesi.
16 luglio » Al sig. Alfredo Monaci (Roma).
23 » » Al sig. Pietro Lacoste, della diocesi di Tournay.
» » » Al sig. avv. Carlo Baussan, dell'archidiocesi di Parigi.
24 » » Al sig. prof. Giovanni Pellegrino, della diocesi di Lecce.
» » » Al sig. Giacomo Vincio, dell'archidiocesi di Torino.
» » » Al sig. Pio Rumor, della diocesi di Vicenza.
26 » » Al sig. Angelo Micallef, del Vicariato apostolico d'Egitto.
» » » Al sig. ing. Michele Moscatelli, del medesimo Vicariato.
» » » Al sig. Zaccaria Sabella, del medesimo Vicariato.
27 » » Al sig. dott. Eleuterio Modinos, del medesimo Vicariato.
» » » Al sig. Vittore Carrez, della diocesi di Arras.
31 » » Al sig. Antonio Schultz, della diocesi di Münster.
2 agosto » Al sig. dott. Leopoldo Peratoner, dell'archidiocesi di Udine.
» » » Al sig. Ludovico Cornelio Gerardo Verhulst, della diocesi di Harlem.
4 » » Al sig. Carlo Jacques, della diocesi di Lilla.
» » » Al sig. Enrico Bayart–Dassonville, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Alfonso Spriet, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Alberto Maeght, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Francesco Bernard, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Enrico Duprez–Dalle, della medesima diocesi.
6 » » Al sig. Luigi Evangelisti (Roma).
16 » » Al sig. Domenico Patrone, della diocesi di Luni e Sarzana.
17 » » Al sig. cav. Francesco Pothmann, dell'archidioc. di Colonia.
20 » » Al sig. prof. Giulio Pompei (Roma).
30 » » Al sig. prof. Aurelio Mistruzzi (Roma).

31 agosto 1923. Al sig. Luigi Balbiani, dell'archidiocesi di Milano.
1 settembre » Al sig. Carlo Bombrini, dell'archidiocesi di Genova.
7 » » Al sig. Luigi Ugolini, della diocesi di Bertinoro.
10 » » Al sig. dott. Raffaele d'Andria (Roma).
» » » Al sig. Arnoldo Bartolomeo Burgers, della diocesi di Harlem.
» » » Al sig. Enrico Borghols, della medesima diocesi.
11 » » Al sig. Paolo Hauttecœur, della diocesi di Lilla.
13 » » Al sig. Giuseppe Paiotta, della diocesi di Marsico e Potenza.
17 » » Al sig. prof. Luigi Winkler, della diocesi di Bressanone.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

28 luglio 1923. Al sig. cav. Casimiro Mottironi (Roma).
2 agosto » Al sig. cav. Enrico Antonio Dubois, dell'archid. di Parigi.
» » » Al sig. cav. Alfredo Giovanni Mason, della medesima archid.
22 » » Al sig. cav. Michelangelo Pulieri (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

23 luglio 1923. Al sig. Arturo van Poeck, dell'archidiocesi di Malines.
11 agosto » Al sig. Carlo Schumacher, dell'archidiocesi di Colonia.
21 » » Al sig. Felice Gasparri (Roma).
» » » Al sig. Guido Luzzi (Roma).
» » » Al sig. Tito Benedetti (Roma).
1 settembre » Al N. U. dott. Roberto de Ferrari, della diocesi di Treviso.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio **XI**, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

9 luglio 1923. Monsig. Enrico Schierano, della diocesi di Asti.
4 agosto » Monsig. Cosimo Fiorino, dell'archidiocesi di Taranto.
7 » » Monsig. Giuseppe Costantino Weber, della diocesi di Basilea e Lugano.
» » » Monsig. Antonio Bravi, della diocesi di Fano.
» » » Monsig. Angelo Bacilieri, della diocesi di Verona.
16 » » Monsig. Cornelio Adriano Antonio van Son, della diocesi di Bois-le-Duc.
20 » » Monsig. Giovanni Battista Barella, della diocesi di Alessandria.
20 settembre » Monsig. Maurizio Santos (Portogallo).
24 » » Monsig. Michele Weiskopf, della diocesi di Bressanone.
» » » Monsig. Giuseppe Grinner, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Sebastiano Rieger, della medesima diocesi.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

19 aprile 1923. Il sig. Antonio Rostoworowski, della diocesi di Lublino.
16 agosto » Il sig. Guglielmo Simpson, dell'archidiocesi di Filadelfia.
» » » Il sig. Luigi Fitzpatrick, della medesima archidiocesi.
» » » Il sig. Patrizio J. Lawler, della medesima archidiocesi.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

3 agosto 1923. Monsig. Ferruccio Pavolini, della dioc. di Massa Marittima.
25 » » Monsig. Giovanni Panico (Roma).
24 settembre » Monsig. Pietro Dos Santos, della diocesi di Campinas.
» » » Monsig. Francesco Botti, della medesima diocesi.

Cameriere d'onore di Spada e Cappa soprannumerario di S. S.:

17 agosto 1239. Il sig. Giovanni M. de Marinis, dell'archidiocesi di Aquila.

Cappellano d'onore extra Urbem *di S. S.:*

24 luglio 1923. Monsig. Emmanuele Meotti, dell'archidiocesi di Bologna.

NECROLOGIO

17 agosto 1923. Monsig. Michele Miroff, Arcivescovo tit. di Teodosiopoli, di rito bulgaro.
19 » » Monsig. Giuseppe Van Reeth, Vescovo di Galle.
27 » » Monsig. Adriano Alessio Fodéré, Vescovo di San Giovanni di Moriana.
5 settembre » Monsig. Tommaso Byrne, Vescovo di Nashville.
20 » » Monsig. Domenico Pasi, Vescovo di Macerata e Tolentino.
28 » » Monsig. Agostino Giustiniani, Vescovo tit. di Eno.